MEDICINA Peregrinantium,

nunquam antehac edita,

Quam

publico donat
ISAACUS CUJACIUS
GENEVENSIS.



B R E M Æ,
Typis BERTHOLDI DE VILLIERS, ibid. Scholæ typogr. Anno 1651.

Excellentissimis ac Celeberrimis Viris,

DN. HENRICO GRAS, Philosophiæ & Medicinæ Doctori, Regis Galliarum Medico celeberrimo;

DN. ARNOLDO am Ende/ Medicinæ doctori eximio, Bremensis civitatis Imperialis Physico ordinario, exercitatissimo Practico & Comiti Palatino;

DN. EBELINGIO Medicinæ Doctori, & apud Kylianos Practico spectatissimo;

DN. N. FABRICIO, Medicinæ Doctori, Chirurgo & Lithotomo expertissimo;

DN. N. BRUCKMANO L. A. M. viro eruditissimo Stralsundiæ Conrectori solertissimo;

Patronis & Mecœnatibus observandissimis

S. P.

DOMINI, ac EUERGETÆ *colendissimi,*

VIta hominis Peregrinatio quædam est, quæ secreto

 creto

creto DEI *Ter. Opt. Max.* consilio agitur: via quippe est vita præsens, quá ad cœlestem patriam tendimus: idcirco heic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Mundus locus est amplissimus Peregrinationis, in quo, tanquam in theatro, quilibet pro ratione conditionis suas partes agit, &, quò quis versutior, eò prudentior habetur, sed carnalis illa prudentia stultitia est coram DEO, ad quod filii seculi non respiciunt, omnia susque deque habentes,

dum

dum prosperá utuntur fortuná, quam velut Deam & Numen colunt, cœloque locant, obliti PIETATIS & omnium VIRTUTUM, heic figunt tabernacula, aliorum calamitates limis oculis intuentes. Hinc vetus adagium; *Homo homini lupus*. Hoc, proh dolor! sat superque in hac longa Peregrinatione sum expertus, in qua multos habui hospites, amicos nullos: nihilo secius DEO confisus, non sum confusus, &, dum nihil sperare possum, desperabo nihil, ut cum *Medea* loquar, calamitas mihi semper erit occasio

virtutis, donec DEUS ἀπὸ μηχανῆς. Apiſcendæ eruditionis, quæ fuit cauſa impulſiva, omnem movi lapidem, ut voti fierem compos: Sed ſi inter fidei noſtræ Conſecraneos aureo imbre non depluente irritum fuit, quid aliunde ſperandum? Dum hæc vel illa meditamur, niſi de mediis ad finem ducentibus cogitemus, HISPANORUM veriverbium ratificatur; *Quien avanti nomira, atra ſe queda*; & ITALORUM; *Colui chi non miradinanzi di ſe indietro ſi trova*. Hinc fit, ut in medio cur-

cursu deficiamus: siquidem
Πόλλα μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου;
Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.
Exeundum nobis est domo inopibus, ut animis divites revertamur: Nam is mihi domi Peregrinus, qui, quid alibi geratur, ignorat, unde ARISTIPPUS percunctante DIONYSIO, *cur venisset in Siciliam relicto SOCRATE? Vt, inquit ARISTIPPVS, quæ habeo, impertiam, quæ non habeo, accipiam.* Idem mihi dicere videmini, cur è GALLIA venerim in GERMANIAM? ut *Chymiæ operationes*, quarum se peritũ MONSPELII *Flander Georgius Torræus* profiteba-
 tur

tur, addiſcerē, cui meā operam ſub fideijuſſione Paſtoris popularis mei, addicebam, verùm mihi & aliis impoſuit, nec datam fidem præſtitit, ſed adſtrictam diremit. Nam peritum MEDICUM, nō minùs *Hermeticæ*, quàm *Galenicæ medicinæ in Chronicis* & contumacibus morbis ſcientem eſſe debere, quotidiana teſtatur experientia. Quum ergo tibi, *Excellentiſsime, juxtaq́ experientiſſime Domine GRAS*, hæc nota ſint, non ſecus ac cauſa datæ fidei & pręſtitæ, paupertas, qua fit, ut

Haud facilè emergant, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Quia

Quia verò literis, pietatis & charitatis plenis, me hortaris, ut, quod vitę supereſt, cum animi tranquillitate, vel in ACADEMIA, vel in PATRIA exigam: ideo tuam erga me εὐδοκίαν & προθυμίαν exosculor, & grati animi documentum per hunc *Tractatum de Medicina Peregrinantium* ex Germanico idiomate in Latinum exſtare volui: quia nullus, quod ſciã, tale argumentum, excepto *Doctore* PISTORIO, *Practico ſui ſeculi celeberrimo*, pertractavit. Quum hic libellus in BELGIO ad manus perveniſſet, blattis & tineis arroſus, publica luce dignum, duobus additis capitibus & nonnullis aliis in gratiam eorum, qui ex INDIIS reverſi, valetudinarii vivunt, ἐν παρόδῳ, quæ ad rem facere videbantur, judicavi. Veſtrum erit, VIRI *clariſ-*

ſimi, videre, num ſit ex uſu medico, &, ſi quid deſit, pro veſtra ſingulari eruditione ſupplere. Non ultrà morabor: oderunt enim prolixos ſermones levidenſia munuscula. *Vivite annos Neſtoreos, valete pancraticè, & favoris auram afflate* mihi, qui ſum ὁλοκαρδίως & ad ætatem.

Veſter humillimus ac obſequentiſſimus Cliens.

ISAACUS CUJACIUS.

Excellentissimo Peregrinantium Medicinæ Autori.

Programma.

Isaacus Cujacius Genevensis.

Anagramma.

Vince causas, sic vigeas! venis.

Autogramma.

S*Ic causas* rerum, CUJACI, *vince* viando,
Ut *vigeas*, tandem, dicet IOVA, *venis*!

Epigramma.

Clara quidem docti laus est & vivida fama
CUJACI, Cleio quam dedit atque Themis:
Quæ doctis scriptis magnum clarata per orbem,
Ut sit honos secli clarus ubique sui.
Jam Tu, CUJACI, famæ tam nobile lumen
Auges, ac *Medica* clarius *arte* facis;
Dum *Peregrinantum Medicinam* colligis hancq;
Sinceræ mentis dexteritate polis.
Vince viæ *causas*, *Peregrinans vince* ferendo,
Sic meliora feret *crastina* fata *dies*.
Vince, venis, vigeas, CUJACI, mente sagace,
Et nomen celebris fama per astra feret.

Anacreon.

Pergas, *Isace*, pergas
Verbis bonis & herbis
Curare *sic* Viantûm
Molestias iniquas,
Causasq; vince tristes

Ve-

Venientium malorum
Herbis satis benignis,
Et floribus venustis,
Et optimis receptis.
Sic Æsculapius dat
Gallum suum polito
Cujacio benignus:
Sic gratus atq; doctus
Phœbo venis amicus
CujAcius, secunda
Lucina quem beavit.
Medicus Jehova faxit,
Vigeas ubique sanus,
Medicus Jehova faxit,
Vigeas ubique lætus,
Medicus Jehova faxit,
Vigeas ubique charus,
Donec polo beeris,
Ubi Finis est *viandi*.

Sic

Musa favente & congratulante

Henricus Mettengang/
Horna Lippiaco-Westf.

Programmanagrammautogrammepigrammanacreontizans applaudebat.

TRACTUS De medicina Peregrinantium, PARS PRIMA.

CAP. I.

Quomodo ad iter quis se parare debeat.

ARISTOTELES, rerum naturalium peritissimus, dicit; *Actus activorum sunt in patiente prædisposito.* Et: *Quodlibet non agit in quodlibet : sed determinatum agit in determinatum*, hoc est, cùm res priùs ad aliquid præparata est, tum ad aliquam corruptionem & vitium inclinat, ut cùm subjectum est statarium, quod ARISTOTELES διαμένον, i. e., *permanens* vocat Exempli gratiâ, cùm pomum decidit ex arbore, & vitium contraxit, faciliùs corrumpitur, quàm id,

quod purum eſt: nam putridum per contactum, quod proximum eſt, corrumpit. Sicut vas, cui circuli deſunt, citius rumpitur, quàm quod integrum eſt. Pari ratione is, qui in peregrinas regiones iter inſtituit, & vitium, aut humiditatem in ſe habet, citiùs in morbum incidit, quàm is, qui nullam habet ad ægritudinem diſpoſitionem: *nam nullum agens operatur, niſi in corpore diſpoſito.* Itaque author ſum ei, qui ſe itineri committit, ut priùs ab excrementis corporis purgetur.

Quum a. hepar ſit ſanguinis officina, hoc quàm optimũ mihi viſum fuit, nimirum, ut aliquot diebus ante abitum manè utatur ovo ſorbili, non duro in aqua cocto, ſimulq; hauſtum vini bibat, & poſtea curet ſibi aperiri venam dextri brachii, quæ *baſilica, hepatica, jecoraria, axillaris* & *interna* dicitur; ſanguinem detrahat ſecundùm ſui corporis conſtitutionem, ſed habita ratione virium, & quidem pruden-

ter,

ter, si putaverit se *Phlegmaticum* oppositis signis cholericis, utpote *Ariete*, *Leone*, & *Sagittario*; judicabit. Si verò quis non agnoverit suam complexionem, poterit his signis se agnoscere *Phlegmaticum*, nimirum, si colore sit albus, & constitutio corporis pinguis, & hebes intellectu, somnolentus, & multùm spuat. Si verò *Cholericum* se judicaverit, his signis agnoscet, nempe, si sit coloris flavi, macer, prudens, virtute præditus, audax, liberalis, & iracundus, tùm opponat sibi signa phlegmatica, ut *Scorpionem*, *Pisces* vel *Cancrum*. Quòd si fuerit *temperamenti Melancholici*, tum color erit niger, macilentus, ingenio fallax, timidus, avarus, invidus & tædiosus; tum sibi opponat signa sanguinea, utpote *Geminos*, *Libram* & *Aquarium*: postea exspectet per aliquot dies, & præparet se ad purgationem. Si verò se *Phlegmaticum* judicaverit, scire debet, quòd humiditas, dicta phlegma, ut plurimùm

crassa sit, & ad expellendum inidonea: propterea præparetur tali potione tribus continuis diebus, & sibi jejunium trium horarum imperet. Tale autem erit *Digestivum:*

℞ *Oxymellis simpl.*
Syrupi acetosi cõpos. } *ana* ℥j ß
Syrupi de mentha
Aquar. fœniculi
absynthii } *ana* ℥iij
betonicæ
Misc. fiant tres haustus.

Hoc facto, quarto die poterit talem *Bolum.* vel *Opiatam* deglutire, tum jejunabit per quatuor horas.

℞ *Elect. Indi*
Diaphœniconis } *ana* ʒij
Diacarthami
cum saccharo tabarZet f. Bolus.

Post quadrihorium sumat jusculum cicerum sine sale & butyro, cum pauco cinamomo pulverizato, & post tres horæ quadrantes sumat jentaculum: hoc ta-

tamen semper est *observandum* cum tali Bolo, ne tempus sit proximum veteri, aut novæ Lunæ, & sumatur in signis electis, ut in Cancro, vel, si fieri vix possit, in Scorpione, vel in Libra.

Qui verò se *Cholericum* judicat dominante pituitosa cholera hanc manè Opiatam sumat sub signis prædictis, & jejunet, prout suprà dictum.

℞ *Elect. de psyllio* }
Diacatholiconis } *ana* ʒ ij
Cassiæ recenter extractæ ʒ iij
Rhabarbari —— ℈ j
Salis gemmæ —— gr. j
cum Syrupo Endiviæ f. Elect.

Vel, si quis fuerit *frigidæ* & *siccæ complexionis*, dominante melancholia, is purgationis loco utatur tribus paratis potionibus ad tres continuos dies.

℞ *Syrupi de fumo terræ* }
de thymo } *ana* ℥ j ſ
epithymo }

Aquarum { *bugloß.* / *borrag.* / *cuscutæ* } *ana* ℥ iiij

M. f. tres haustus.

Quarto die manè utatur hac Opiata:

℞ *Diasenæ* ʒ iij
Diacatholici ʒ ij
Lapidis Lazuli loti gr. iij

Misc. f. Bolus.

Et hæc de Evacuatione dicta sint.

Cap. II.

Iter conficientes quomodo aëris incommoda fugere & per quatuor anni tempestates in itinere se gerere debeant.

ITinerantium præcipuè interest, aëris nocumenta fugere: coguntur enim hi subitò mutare cœlum, & modò frigori & ventis, modò æstui se exponere. At neque ex salubri loco in gravem, neq; ex gravi in salubrem transitus satis est tutus. Ergo, cùm quis mutare locum volet,

let, paulatim debet aſſueſcere & ex ſalubri in gravem *prima hieme*, ex gravi in eum, qui ſalubris eſt, *prima æſtate* tranſire, neque longum iter aggredi, niſi alvi præmiſſa purgatione, præcipuè ſi laſſitudinem aliquam præſenſerit: quia κόποι ἀυτόματοι φράζουσι νούσους, i. e. *Laſſitudines ſpontaneæ morbos denunciant*. Hunc item oportet per aliquot dies victui aſſueſcere illius regionis, ad quam eſt migraturus, interdum equitare, aut navigare, nimirum, quod ad iter magis expedit: ne ſubita mutatio ad labores lædat: Omnē enim laborem faciliùs, vèl puer, vel ſenex, quàm inſuetus homo ſuſtinet.

Prodeſt etiam huic, dummodo ad locum æquè ſalubrem tranſeat, vere iter facere, aut in principio autumni: nam itineribus inepta eſt hiems, ineptiſſima æſtas. Quòd ſi quem nolentem, volentémve res ipſa ad iter impulerit, nullius diei, aut temporis occaſione ſervata, id ſaltem agat, ut contra temporis incommoda ſe muniat. Si igitur ita contige-

tigerit, ut *æstuante sole aggrediatur iter:* quia hoc tempore spiritus plurimùm resolvuntur propter ingentem ambiētis aëris calorem, & cutis raritatem; quia etiam corpus squalidum est, humiditatibus resolutis, infestamque sitim patitur, & caput interdum æstuantibus fumis repletum dolet, ~~interdum~~ viscera & sanguis incenduntur, febremq; patiunt: ideo hoc tempore sæpiùs aliquid edendum est, quòd multi sit nutrimenti, & facilis in corpore transmissionis, ut sunt, carnium succus, ova recentia, tenera, sorbilia gallinarum, gallorum testiculi, suum, hœdorum, vitulorum & vervecum juniorum, & volucrum ferè omnium, quæ in locis siccis degunt, carnes, pisces ferè omnes boni succi sunt, exceptis iis, qui in paludibus, stagnis, & fluminibus limosis ac turbidis morantur. *Succum* etiam portulaginis cum mucilaginibus psylii miscere oportet, & ceræ albæ convenienti adhibita portione *Emplastrum* facere, & in pittacio,

cio, quod pectoris latitudinem æquet, diſtendere ac pectori applicare convenit. Sic enim per victum ſpiritus reficiuntur, ita per Emplaſtrum cordis caliditas reprimitur, & ſpirituum prohibetur reſolutio. *Potio* hoc tempore moderata ſit vini tenuioris, aut diluti: quòd ſi boni vini copia non ſit, ut ſæpe fit, melius eſt, aquam bibere, in qua *ſaccarum* & *cinamomum* ebullierint, & nonnulla *coriandri* aut *aniſi ſemina*: Sic enim quatuor, aut duobus prioribus ventriculo & viſceribus conſulitur: quòd ſi horum non detur copia, vino ſaltem permiſceant, & reſidere permittant.

Quòd ſi ſuſpicio ſit aquæ inſalubris, tũ petroſelini radices incoquendæ, convenit etiam aquam coquere: nam hac ratione in meliorem naturam mutamus, dum tetrum odorem, ſi quem habet, deponit, &, quicquid terrei continebat, facilè reſidet, levéque ſupernatat: illud enim in minimas diviſum particulas, antequam aqua calefiat, u-

niversè admiſcetur : quòd ſi arena cum aqua bibatur, non levem noxam adfert, præſertim illis, quibus renes & veſica procreandis lapillis apta ſunt. Quæ *ex aqua & melle Potio* ſit, tum ſimplex (quam *aquam mulſam* dicunt) tum compoſita ex aromatibus (quàm *mulſam conditam* appellamus) ſitim ſedant, lieni proſunt, inteſtinis ſunt remedio, liquores, qui pulmoni inſident, & difficilè exſcreantur, depellunt: ſed ventriculo bilioſo nocent, niſi aquoſiſſimæ ſint. Quæ *ex hordeo* aut *pomis* fiunt *potiones* laudantur : verùm & flatuoſæ nimis & nõ facilè concoquuntur. Et quę ex pomis fit potio, mali eſt etiam ſucci.

Et hęc de aqua corrigenda & aliis potionum ſpeciebus ac tempore matutino agendis dicta ſint. *A prandio* verò, priùs quàm iter denuò arripiatur, ad tempus quieſcendum eſt, ſi modò detur occaſio, ſin minùs tenuem polentam ex aqua cum pauxillo ſalis bibere expedit, & prandium intermittere: præterea mollis

lis fascia sex aut septem digitorum latitudine, sinuoso quodam volumine, lumbos ad ilia usque implicet: Sic enim venter firmior erit, & fient meliores coctiones. Prodest etiam contra solis ardorem pallio aliquo denso corpus tegere, sic ut non adhæreat corpori, & soli resistat: Præcipuè tamen caput obumbrare convenit, ne ex solis ardore cutis condensetur: sicque fumorum prohibita exhalatione sanguinis fiat ebullitio, & venarũ distensio, cùm in toto corpore, tum etiam in capite. Præterea, ut POLYBIUS docet, lentè hoc tempore *equitandum* est, ne corpus supercalefiat, nisi per solem sit iter faciendum: tunc enim tanta est solis vis, ut magis exsiccet corpus, quàm ipsa exercitatio. Quare festinato opus est, quò ocyùs à solis ardore liberemur. Si verò *Autumno iter facere*, necesse est, primò matutinum & vespertinum frigus indumentis vitare oportet, & cavere meridianum solem, sub quo, si fieri possit, itinerandum non est:

discedit enim caloris vis, antè quàm humores, quos liquefecit, resolvat: frigido verò superveniente aëre, cutis constringitur: qua ex re fit, ut humores, qui, ut per cutem educerentur, erant dispositi, ad juncturas transmittantur.

In victu utendum aliquo ex autumnalibus vino meraciori. *Quòd si per hyemis frigora & glacies iter suscipiendum est*, velociter ambulandum: motus enim corporis calorem excitat, calefactum verò corpus meliùs frigori resistit. Eadem ratione indumentis corpus tegere decet, naresque, aut linteo, aut aliquo alio medio, ne subitus aër irruens, aut venam aliquam pectoris rumpat, aut tussim moveat.

Præterea, quia multos *Apoplecticos frigus interimit*, ideo præcipuè caput tegere oportet: quòd si quis Apoplexiâ corripiatur, utatur *oleo succini Crollii*, vel ℞ *fol. buxi q. v. contunde, & aquam inde exprime & misce cum cerevisia.* Da ægro in cochleari, videbis hoc sumpto remedio,

dio, eum non calurum. Hoc insuper *observandum* est itineranti, ut nō statim post ingressum hospitii ad ignem accedat: sed includat se in temperato cubiculo, &, postquam recalefactus fuerit, statim comedat ex hiemalibus cibis aliquos & vino utatur meraciori, neque unquam jejunus, aut ventre vacuo se itineri exponat: visceribus enim exsistentibus vacuis, spiritus interiùs avidè retinentur, ut nonnisi exigui extimis corporis partibus transmittantur: contrà verò, si cibo munitus sit, sanguis & spiritus copiosiùs extimis corporis partibus communicantur, & occurrenti frigori meliùs resistunt. Atque hæc de aëre & anni temporibus in itinere necessariò observanda dicta sint.

Cap. III.

De Diæta.

INsuper Peregrinator, ut docet AVICENNA *tertia pri. c. 7.* sensim à priori vitæ consuetudine seu instituto desuescere

ſcere debet. Nam credibile eſt, quòd quivis, qui ſe in peregrinam confert regionem non poterit talem *Diætam* & vivendi modū obſervare, ac ſi in propria eſſet patria, cujus aëri ſemper aſſuevit.

Propterea debet quotidie ſe magis ac magis aëri aſſuefacere, hoc *probè obſervato*, ut juxta temporis rationem ſe veſtiat. Verbi gratiâ; æſtate tenui veſte utatur, hieme verò lanea, & utroque tempore capitis, & præſertim thoracis rationem habeat.

Quòd ſi contingat peregrinantem in Oriente, aut Meridie morari, tum debet in cubiculum frigidum aërem admittere, præſertim tempore æſtatis. Talis verò conciliatur per folia roſarum rubrarum, violarum, vitis, myrti, & per mala cydonia, granata, aurantia, mala acida, & camphoram.

Hoc etiam hîc eſt conſiderandum, ut introitus cubiculi ſpectet verſus Orientem, ut ipſum aërem introeuntem admittat, vel ſi hoc fieri non poſſit,

por-

porta ſit aperta verſus Septentrionem. Si verò ei ſubſiſtendum ſit in regione ſeprentrionali, vel occidentali, tum neceſſum eſt, præſertim hiberno tempore, calidum aërem, lucidâ flammá ex ſalubri ligno, maſtiche, thure albo, ligno paradiſi, myrrha, rore marino, majorana, mentha, & ſimilibus, procurare.

Inſuper curandum, ut aër cubiculum Orientis intret, niſi in eodem climate cadavera, vel fœtor malum ſpirarent odorem, tum hoc in caſu alius introitus erit quærendus.

Debet à cibis, quibus uſus eſt domi, ſenſim deſueſcere, & paulatim iis asſueſcere, qui ſunt in uſu in regione, ad quam tendit. Inter peregrinandum *craſſi* & *δύσπεπτοι*, ſeu *concoctu difficiles cibi*, quantum fieri poteſt, ſunt vitandi: *his adde cibos*, qui ventrem implent, nec ſunt boni ſucci, ac parùm nutriunt. *Tertiò* vitare debet cibos flatulentos, ut ventriculus non excitet flatus, ventoſitates, & ardorem concipiat: *Verùm præ-*

ſer-

sertim cavendum, ne vescatur carnibus, recèns mactatis, excòriatis, & adhuc calentibus: nam facilè pariunt dysenteriam.

Æstate elixa caro vitanda, & inprimis vitulina, nisi omphacium, vel alius liquor acidus admisceatur. Hoc autem sanitati conducit, nimirum, ut Peregrinator ante quemlibet pastum ori buccellam panis indat, cui anisum sit commixtum: nam multum corrupti humoris hac ratione per herniam expellitur, in prandio pauco cibo & potu, at in cœna paulò largiore uti debet. *Raphano* & *nucibus*, nonnisi in parva quantitate, quæ veneno resistunt, utendum. *Allium* flatus in corpore dissipat, & damna, quæ excitantur ab aqua putrida, corrigit. *Æstivo tempore* convenit, vinum generosum & atrum bibere: sed omnis generis aromata, etiamque assumtus crocus non debent venire in usum. *Hieme* verò commendatur *vinum absynthites*, & præsertim quod cum herba carduibenedicti con-

fectum

fectum eſt: nam concoctionem juvat, & reſiſtit veneno. Si verò *vinum roſmarini* haberi poſſet, alternis diebus utendum eſſet: Nam eſt multò ſalubrius. De vini defectu, & aquæ bibendæ neceſſitate agemus *in ſecunda parte hujus libri, nimirum capite quarto*, ubi docebimus, quomodo aquâ ſit utendum, ut damnum non afferat ſanitati. Nec cinamomum, galanga, charyophylli, zinziber rectè uſurpata prædicto tempore prohibentur.

Quum autem equitando, & incedendo, ſicut aliis exercitiis calor ventriculi excitetur, & corruptionem concoctioni afferat, tum eo in caſu Viator hoſpitio exceptus non debet ſtatim ſumere cibum: ſed ſinat æſtum paululùm remitti. *Item non* debet ſtatim ab aſſumto cibo ſe accingere itineri, ne ſuæ ſanitati aliquod accedat detrimentum: Ideo utile eſt aliquandiu morari in hoſpitio, ſi fieri poſſit, donec ventriculus ad concoctionem cibi ſe recolligat.

Non

Non opus eſt prohibere peregrinanti, ne nimio indulgeat ſomno. Nam cura, & labor itineris ſæpe ſomnum interturbant, id quod admodum noxium, propterea de eo *capite ſexto* faciemus mentionem.

Viatori etiam incumbit, ut corpus à ſuperfluis *Excrementis repurget*, ſeu ſcreando, ſeu tuſſiendo, ſive ſudando, ſive amori indulgendo, caput & pedes lavando, & alvum dejiciendo, ac urinam reddendo: id quod ſæpe propter nimiam corporis agitationem accidit. Quare de his *capite octavo* pleniùs ac planiùs agemus.

Inſuper Itinerans omnia ſuperflua animi *pathemata* vitabit, quum itineris moleſtia ſatis faceſſat negotii. Talia ſunt: *cura*, *triſtitia*, *anxietas*, *timor*, *ſollicitudo*, & *immoderata lætitia*. Atque hæc dicta ſint de Diæta. Jam *capite quarto* de iis, quæ ei ut plurimum evenire ſolent, agendum nobis erit.

Cap. IV.

De Famis tolerantia.

Contingit ſæpe, ut is, qui in exoticam regionem ſe confert, non quovis tempore cibum habeat paratum: propterea famem cum aliquo detrimento ſentire cogitur. Nam ubi deficit cibus, tum ventriculus noxias humiditates ad ſe trahit. Qua ratione huic malo occurratur, docet Avicenna, dicens, quòd omnis cibus paratus ex aſſatis hepatibus ſaturet, & placet ſtomachum ac proinde famem expleat: Docet etiam modum conficiendi *Globulos*, quos ſi quis degluciat, toto die dis ſuſtentatur, qui apud Pharmacopolas in hunc modum parari poſſunt.

℞. *Amygdal. dulc. excorticat* ℔ j

Adipis vaccini liquefacti ℔ ſ

Olei violarum ℥ ij

Mu-

Mucilag.rad.althcæ ℥j

Terantur omnia simul in mortario. f. pilæ sicut globuli nucis Italicæ instar.

Tales Globuli, quantum fieri potest, præservandi sunt à calore, ne liquescant, & in casu necessitatis in usum revocandi. *Item* in tali casu utile est ex amygdalis & saccaro paratum habere marcipanem. Nam nutrit simul, atq; sustentat.

Quia verò inedia est coacta fames ciborum nutritioni convenientium: ideo visum fuit hæc addere in gratiam eorum, qui ex diuturna navigatione illam fuerunt perpessi. Utantur ergo jure galli gallinacei veteris, hoc est, qui quinquennium absolvit, nam solvit ventrem & optimè nutrit: quia multum nitrosi possidet, quod tenues meatus venarum meseraicarum ab inedia conniventes aperit, citoque, quum digeratur, famelicam partium inediam mitigat: Quòd si solidis alimentis sese ingurgitent, tales homines in ipsa ciborum man-

manducatione moriuntur: quoniam, quum partes ſint inanitæ, nutrimentum exſpectant, hoc cùm ventriculo ingeſtum eſt, non attrahunt leniter ordinario naturæ motu, ſed rapiunt ex ventriculo ſtatim, cùm ingeſtum eſt, priusquam in chylum commutetur. Quum autem agmine deſcendat in inteſtina, & ventriculo vicinum jejunum inteſtinum partim conniveat: quia diu fraudatum fuit benigno chyli transfluxu, partim rigidum aridumque exſiſtat ob acris bilis transfluxum (quippe per inediam bilis in corpore noſtro creſcit in quantitate & qualitatis acrimonia) inde tunc disrumpitur hoc inteſtinum, cùm à craſſi alimenti copia violenter infarcitur, hominesque magno tormento moriuntur, diffuſis in cavitatem abdominis alimentis. Sic cùm urbs *Leyda* Anno 1573. à diuturna obſidione liberaretur, uná horá civium plurimi periêre. Si *Digerentia* præmittantur alvusq; injecto Clyſtere laxetur, poſtea facilè officium ſuum faciet.

Indi

Indi famem & ſitim pellunt tabaco in hunc modum: Comburunt aliquot limaces fluviatiles, eos conterunt in pulverem: poſtea hujus pulveris & tabaci ſumunt partes æquales & ſimul miſcent, ac maſſam conficiunt, & formant pilulas paulò majores, quàm piſa, easque in umbra exſiccari ſinunt, quas ſervant ad uſum, ſcilicet cùm per loca deſerta incedunt, nec cibum inveniunt, unam harum pilularum collocant in labro inferiori ad radices dentium, & ſorbent liquorem, qui liquefit, & unâ pilulâ liquatâ alteram indunt, & ita famem ſedant in peregrinando per triduum aut quatriduum, quo tempore nec famem, nec ſitim ſentiunt. Cauſam hujus rei hanc eſſe cenſeo: quia, dum ſæpe ſorbent id, quod liquatur ex pilula, etiam phlegma ex capite eliciunt, quod penetrans in ſtomachum, vicem ſupplet humiditatis, & nativum calorem roborat, id verò faciunt eo in caſu, ſi fortè alius cibus illos deficiat: Idipſum

videre

videre eſt in multis animalibus, quæ toto tempore hiberno ſub terra degunt ſine cibo: quia calor naturalis occupatur in conſumenda pinguedine, quam æſtate ſibi copiâ ciborum agglutinarunt.

Tempore hiemis poſſunt parari *tabellæ* cum ſaccaro & aromatibus ex farina fabarum, quæ corroborant, & famem impediunt. Hujus generis eſt *panis confortans*, qui pinſitur, & in caſu neceſſitatis geſtatur. Accipitur paſta ex ſimilagine facta ad magnitudinem capitis humani, in qua teritur dimidia libra puri ſaccari, & ex illa paſta formatur *oblongus Magdaleon*, qui cum illa pinſitur: ita piſtus per diem & noctem quieſcere debet: poſtea in talleolas aptatur, & inter unamquamque talleolam recens & optima aqua roſarum asſpergitur, ac comprimuntur omnes talleolæ, quæ iterum pinſi debent: ita fit optimus *panis corroborans*, qui diu recens aſſervatur, ac probè ſatiat, licèt in parva quantitate ſumatur. His obſer-

ſervatis poſſunt itinerantes curſum ſuum feliciter abſolvere, verùm, quia ſiti ſæpiùs, quàm fame premuntur, propterea de hac brevem inſtituam narrationem.

Cap. V.

De Siti.

QUandoquidem exercitio corpus invaleſcit, & ſitis excitatur, fieri non poteſt, quin viator ita ſitiat, ut ſitim exſtinguere non poſſit: ideo neceſſum eſt, remedia præſcribere, quibus ſitis tollatur. *In hoc caſu* cenſet AVICENNA, ne Peregrinator multùm loquatur, quum frequens linguæ agitatio ſitim provocet. *Secundò* jubet, ut omnes duros, ſalſos, & aromatizatos cibos vitet, & præſertim in cibis utatur herbis frigidis, ut acetoſa, capreolis. *Item* fructibus, utpote granatis, aurantiis, limonibus, ceraſis conditis, uvis ſancti Johannis, prunis Damaſcenis, & ſimilibus.

Do-

Docet etiam SAVONAROLA, quòd si quis siti vult occurrere, tales trochiscos debet habere in promptu, qui sæpe in ore sunt versandi. Sic autem fiunt:

℞ *4 semin. major. frigid.* } *ana* ℥j
seminis papav. albi }

Fiant cum mucilagine seminis cydoniorum, & tragacantha cum aq. rosar. & violarum tabellæ in forma trochiscorum.

Censet etiam utile esse, ut *rubrum Corallum*, vel *Crystallum* in aquam fontanam immergantur, & in ore detineantur, unde dicit MONTAGNANA, nisi hoc prosit, parvos saccos esse sumendos, qui repleantur *seminibus lactucæ, papaveris albi, endiviæ, acetosæ, succo liquiritiæ, mucilagine cydoniorum, & gummi tragacantha cum aqua rosarum extracta*, & tales sacculos exsiccandos & gestandos, atque si opus sit, *syrupo rosarum*, vel *violarum* humectandos, & in ore aliquandiu detinendos: nam

hoc multùm juvat sitibundum. Ad hoc etiam valet mucilago præparata cum aqua hordei, os & palatum sæpe gargarizando, vel aqua recenti fontana, in qua parum aceti sit admixtum.

Si verò sitibundus vini defectu aquam bibere cogatur, & contingat, eum esse in loco, ubi aqua tantùm salsa habetur, præparandi modum inveniet *capite quarto secundæ partis hujus tractatus*.

Quum sæpe Itineranti somnus à lassitudine, æstu, & siti prohibeatur, sic erit conciliandus, de quo capite sequenti.

Cap. VI.

De Insomniis.

TRibus horis post pastum debet Itinerans, qui somnum capere non potest, in promptu habere aquam ad pedes abluendum, in qua *violæ, nymphæa, lactuca, solanum, camomilla, semina papaveris, hyoscyami, salicis, & vitis folia* ebullierint ac tali aqua pedes

des & brachia abluat, tum poſt horæ quadrantem debet ſumere hanc potionem:

℞ *Syrupi nymphea*
violarum } *ana* ℥ ſ
papav.

F. potio cum tribus unciis lactis & ſemine papaveris albi.

Si talis potio non profuerit, tum nares, & arteriæ capitis, ac pulſus ſequenti unguento inungantur:

℞ *oleum florum nymphea*
oleum violarum } *ana* ℥ ſ
unguenti populei
opii *grana* iij
Croci contuſi *grana* iiij

F. unguent utare, prout ſuprà dictum.

Item in ejus juſculo coqui poterunt lactuca & ſemen papaveris albi, vel in oleo roſarum parum canphoræ ponatur, & hæc miſceantur cum lacte mulieris

eris, femellam lactantis, id quod fronti & temporibus alligetur.

Accurandum est, ne itineris molestia, & magnæ vigiliæ debilitatem afferant, quæ si oboriatur, prout contingere potest, tum ei succurrendum erit, prout sequenti capite dicemus.

Cap. VII.

De Corporis Debilitate.

VErùm, si debilitas, & virium defectus ob prædictas causas contingat, consilium est, ut Peregrinator utatur, si haberi possint, cibis euchymiis, utpote, *gallinis coctis, & contusis, caponibus, perdicibus, pullastris, attagenibus, oleo amygdalarum dulcium, jusculis nutrientibus cum aqua buglossi, & vino malvatico*, ut docet Montagnana, commixtis, quibus pro cibo, & potu uti poterit.

Insuper in hoc casu utilis erit aqua carnis, quæ ex assata carne destillat, vel per alembicum elixatur, &, si detur pharma-

macopolium, præparetur tale *Electuarium*, quo utatur quovis matutino tempore adplacitum ad quantitatem nucis moscatæ, quod corroborat, & nutrit. Sic autem præparatur:

℞ *Pistaciorum præparatorum cum aqua rosarum* ℥vi
amygd. dulcium ℥iſ
passularum sine arillis ʒij
cinamomi electi ʒiſ
santali citri
liquiritiæ rasæ
margarit. præparat.
coralli rubri præparati } *ana* ʒſ
saccari albissimi ℥vj

Cum aqua rosarum fiat veluti conditum & tegatur foliis auri.

Uti etiam poterit assatis caponibus, saccaris, rosato, violaceo, buglossato, borraginato, succo limonum, vel

 citri,

citri, manu Christi perlati, vel per se, vel composita, sed præsertim *tempore æstatis; hiemis verò tempore* poterit prædictis speciebus miscere calida, ut: *moschum, ambram, lignum paradisi, galangam*, & similia.

Quòdsi omnia viscera corroborare, ac præcipuè ventriculi & hepatis tonum roborare sit animus, fiat seq. confectio:

℞ *folior. ros. rubr.*
santali citrini } *ana* ℈ij
cinamomi electi

margarit. elect.
coralli rubri
rasuræ cornu cervi primæ germinationis } *ana* ℈j

olei anisi vel cinamomi ℈ſ

saccari albissimi soluti in aq. rosarum ℥iiij

F. *confectio in rotulis, quarum singulæ pendeant*

deant drachmam unam. Sumatur unâ horá ante prandium & cœnam.

In eadem etiam quantitate *saccarum* potest dissolvi *in aqua cinamomi* & illi admisceri *conserva rosarum* ℥iij *f. l. a. confectio per tabellas*. Si verò ventriculus præcipuè sit roborandus, sumantur loco *conservæ rosarum*, *specierum aloephanginarum* ℨij. Quòd si purgare sit animus, tum

℞ *saccari albissimi in rosarum infuso dissoluti* ℥ij
specierum diacarth. ℨij

F. *confectio per tabellas pendentes* ℨiſ *quarum una sumatur horá ante prandium, & in principio pastus jusculum assumatur.*

Quòd si in tali debilitate & defectu spirituum vitalium adsit etiam prostratus appetitus, eò periculosius esset: propterea cura hujus rei habenda est, cujus in sequenti capite fit mentio.

Cap. VIII.

De proſtrato Appetitu.

SI contingat, Peregrinantem propter debilitatem, vel alias cauſas abhorrere à cibo, id quod non citra ſanitatis detrimentum eveniret, tum ei omnibus cibis calidis, & herbis coctis interdicendum, ut docet AVICENNA, & paucis in ſubſtantia cibis contentus eſſe debet, ſed ad nutriendum validis opus habet, utpote: *ovis recentibus in aqua coctis, gallinarum jecoribus, caponibus, perdicibus, uvis ſilveſtribus, veru aſſatis, aceto roſaceo, aquis roſarum, buglosſi, ſucco arantiorum, vino granatorum, vel malvatico* inter asſandum irrigatis. Huc pertinent etiam *embammata, ſeu intinctus ex uvis ſancti Johannis, ſuccus cydoniorum, omphacium, acetoſa*. Quidam addunt uſum olivarum, & capparum.

Interdum accidit in hoc caſu ſyncope: propterea dicit AVICENNA, quòd

jux-

juxta ęgros res odoratæ haberi debeant, utpote panis recens coctus, caro recens assata & vinum fragrantissimum cum pomis aromatizatis. Si verò vacaret Viatori, posset tribus horis post cœnam sequentium pilularum tres deglutire, & sequenti die posset quiescere: nam amissum appetitum restituunt, quas secum gestare poterit. Sic autem parantur:

℞ *massæ pilular. aloephang.* ʒiſ
aloes lotæ ʒiij
mastichis
rosarum rubr. } *ana* ℈ſ
xylo aloes

F. *pilulæ septem cum aqua cinamomi pro drachma una.*

Laudatur etiam panis tostus aceto, caryophillis & nuce moschata inspersis & orificio ventriculi impositus: nam tale quid sæpe appetitum excitat. Si verò

rò alvus non respondeat, ut sæpe fit, tum sequentem in modum axiliandum erit capite nono.

Cap. IX.

De ventris Constipatione.

SI alvus quotidie non respondeat, tum Itinerans debet uti suppositorio, facto ex melle & sale, vel ex radice betæ, vel lardo infumato, vel utatur aquâ hordei cum saccaro. Talis etiam suppositorii forma esto:

℞ *mellis communis* ℥j
specierum hieræ ʒj
salis communis ℈j

Coque ad duritiem f. suppositorium.

Vel:

℞ *specierum hieræ* ʒiſ
trochiscorum Alhanda
Diagridii
salis gemmæ } *ana* ℈j

Cum

Cum melle fiant duo ſuppoſitoria.

Item poterit uti in juſculo ovo crudo cum ſaccaro diſſoluto, vel poterit ante prandium ſumere aliquot cubebas absque nucleis, ſed priùs in vino maceratis, vel aliquot pruna Damaſcena elixa, vel poterit ſibi auxiliari cum rhabarbaro, & tribus horis ante cibum ſumere drachmam ſemis pilularum ſequentium peſtilentialium:

℞ *aloes electæ* ʒij
myrrhæ optimæ } *ana* ʒj
croci ſynceri }
gummi Ammoniaci ʒſ
ſyrupi acetoſitatis citri *q. s.*

F. *pilulæ, bis manè utendum tribus à pastu horis: ſed tempore frigido potius, quàm calido.*

Si parvus Clyſter injiciatur, omnem adimplebit intentionem.

Item alvum emollit tenuis pappa calido butyro affuſo, quæ ſorbetur: Sed cum cautione, ne ſit nimis pinguis,

 alias

aliàs æstuosum vaporem in ventriculo excitat, qui dicitur *ardor stomachi*, id quod equitanti & pedestri molestiam parit, cui sic medetur in sequenti capite.

Cap. X.

De Ardore Stomachi.

Cùm Viator modũ vivendi non observat, & pinguibus cibis vescitur, postea equitat vel incedit, tum sequitur affectus, qui dicitur æstuatio vel ardor stomachi, pro quo morbo tollendo varia adhibentur.

Quidam utuntur *glycirrhizâ*. Alii *succo glycirrhizæ*. Nonnulli utuntur *pane sancti Johannis*, qui *Xylocaracta* appellatur. Alii masticant *pisa alba*, vel *lapides carpionis*. Item degluciuntur *grana quædam thuris albi*, vel bibitur *aqua calida*, vel *lac*. *Nuclei cerasorum* etiam sunt optimi, & *gummi tragacantha cum aqua rosarum* similiter deglutiendum. Item valent *amygdalarum nuclei non excorticati*,

vel

vel frustillum panis, aceto intinctum, ad hoc conducunt, vel sequentes *morsuli* utiles sunt, licèt in tali casu raro in usum veniant: attamen optimos esse, experientia comprobat, qui sic parantur:

℞ *Zedoariæ* ———		
mastichis ———	ana ℥ j	
granorũ paradisi		
nucis moscatæ	ana ʒ ſ	
cinamomi ———		
saccari albi	ʒ ij	
saccari candi	ʒ iij	

F. *confectio cum aqua lactucæ pro morsulis. Hujus confectionis sumitur interdum morsulus.*

Itineranti etiam sæpe *capitis dolor* oboritur, qui, quomodo sit curandus, *sequenti capite* docetur.

Cap. XI.

De Dolore capitis.

INterdum vapores ad caput Peregrinanti aſcendunt, idque propter nimia exercitia, & ſolis æſtum, quæ dolorem capiti creant, pro quo tollendo docet MONTAGNANA, ut tribus horis poſt paſtum vel cœnam ad comprimendos vapores in pharmacopolio ſequens potio paretur:

℞ *Syrupi de papavere* ℥ j
oxyſaccari ——— ℥ ſ
decocti ſeminum major. ℥ ij

M. fiat hauſtus.

Inſuper laudatur fronti & temporibus hoc unguentum faſciâ applicatum:

℞ *aq. roſarum* ℥iij.
oleor. violar.
roſar. } *ana* ℥j
aceti roſar. ——— ℥ſ

al-

albumen ovi N° unum
camphoræ gr. ij

Agitentur omnia ſimul & applicetur.

Si verò hoc non juvet, applicari poterit *lac Virginis cum oleo olivarum* & lixivio factum, cujus hæc eſt deſcriptio, ſecundùm CORDUM:

℞ *aceti fortis libras quinque*
Lithargyri auri } *ana* ℥ 4
argenti }

Lithargyrum tritum, & aceto probè commixtum per alembicum deſtilletur, &, quod effluxerit, ſervetur: deinde

℞ *aluminis plumei* } *ana* ℥ j
Salis gemmei }
thuris maſculi ℥ ſ
camphoræ ℈ ij
Aquæ roſarum ℔ j
Olei tartari ℥ vj

Quæ terenda ſunt, terantur & rurſus per alembicum aqua eliciatur, Vel in mortario

tario contundantur semina papaveris albi & cum aqua rosarum fiat lac, & fronti imponatur.

Quia verò sæpe fit, ut Viator in *ardorem urinæ* incurrat: ideo sequenti modo curabitur Cap. XII.

Cap. XII.

De *Ardore Urinæ*

SÆpe fit propter frequentem corporis agitationem, urinam inflammari, & inter excernendum magnum parere dolorem: Propterea curandum Viatori, ne in suo proposito mora injiciatur.

Ac *primo habenda est ratio cibi*, & *potus*; nam vitare debet falsos, & aromatizatos cibos, pisces, cepas, raphanos, & allium. Debet uti lacte caprino, lacte amygdalarum dulcium, pedibus vitulinis, ovis elixis, lacte vaccino cum saccaro Candiæ, hordeo bene elixo, jusculis pinguium gallinarum, oriza in pulte, vel cum jusculo carnis

&

& borragine. Debet etiam bibere ſerum lactis, vel aquam glycirrhizæ. Si verò vino fuerit aſſuetus, tum bibere poterit, & quidem mixtum cum aqua plantaginis. Non debet dorſo indormire, & rarò decumbere in latus dextrum. Abſtineat à mulieribus, ab ira, ab omni exercitio, ſi fieri poſſit.

Si verò dolor fuerit adeò vehemens, poterit curare ſibi præparari tale lac amygdalarum, & ſingulis bihoriis dies, noctesq; bibere:

℞ *amygdalar.* ——— ℥ iiij
Seminis papav. albi ℥ ij

His affunde aquam calidam, quæ tamen non ſit nimis calida. Hæc quieſcant per quinque horas: poſtea decortica nucleos, & aquam hordei affunde, in qua drachma una gummi tragacanthæ ſoluta ſit. Miſce pro lacte amigdalarum.

Poterit etiam uti ſequenti linimento, quo renes illinantur:

℞ *mucilag.* { *althea* } *ana* ℥ j
ſemin. { *lini* }

oleor-

oleor. amygd. dulc. }
violarum } *ana* ℥ j

ceræ albæ q. s.

F. *unguentum.*

Nuclei melonum ſaccaro incruſtari & nuclei amygdalarum ſunt in hoc affectu admodum utiles.

Interdum etiam exercitatio, & ſolis æſtus Peregrinantibus narium hæmorragiam creant, quæ ſi fuerit immoderata, debilitatur hepar, & magnum affert damnum: propterea ei medendum, ut ſequitur Cap. XIII.

Cap. XIII.

De Narium Hæmorragia.

SI ſol Peregrinanti ſanguinem attenuet, & fluxum excitet, tum ſibi caveat à cibis aromatizatis, à cepis, raphanis, & alliis. Utatur ergo herbis ſequentibus, utpote: *Spinachiis*, *borragine*, *lactuca*, & à vino abſtineat, odoretur camphoram, vel cuminum Romanum

num in aceto maceratum, vel aquam roſarum olfaciat & applicet puro linteo tale Emplaſtrum:

℞ *bolum Armenam* ———
pulverem ex molendino
Cum aceto, & albumine ovi ſiat Empl. imponatur fronti, & arteriis capitis.

Si verò hoc non profuerit, tum intingatur linteum in aceto & ita applicetur circa collùm.

Si verò hæmorragia ſit à vulnere, tum:

℞ *camphoræ* — ℥ij
Rad. tormentillæ — } *ana* ℥ſ
boli Armenæ veræ }
M. ſiat pulvis ſubtilis.

Applicetur vulneribus cum ſtupa lini, quæ imbuta oxycrato ſeu poſca: ſed partibus nervoſis applicetur cum albumine ovi in aqua quaſſato: quia acetum nervis eſt inimicum.

Si quis per utramque maxillam & linguam fuerit transverberatus, linteum madefactum oxycrato, aut ſolá aquá

frigidà

frigidá & hoc pulvere imbutum bregmati imponatur: ſed in *peſte* omittantur *radices tormentillæ* ob nimiam aſtrictionem, & naribus applica; vel ad narium radicem, ſimulq; collo, & occipiti.

Vel: Inſere naribus *vitium capreolos confricatos*, hoc eſt, ſurculos, quibus vitis ſe ſuſtentat, vel radices parvæ urticæ valde urentis, aut burſæ paſtoris raſæ, vel detineantur manu flores bdellidis minoris, vel turunda laudano opiato imbuta naribus inſeratur. Vel:

℞ *boli Armenæ* — ℥ ſ
pilorum leporis — ʒ ſ

M. cum albumine ovi in aqua concuſſo ad conſiſtentiam ſyrupi craſſi, & cum turunda ex bombace, indatur naribus.

Magna cucurbita ſine ſcarificatione applicetur hypochondrio, è directo reſpondente ei nari, unde ſanguis profluit. Quòd ſi ex utraque profluat, affigatur hypochondrio dextro. hæc cucurbita ſit valde ampla. Vena ſecetur

ejus-

ejusdem lateris in brachio ad aliquot uncias repetitis vicibus, idque, si urgeat fluxus violentus, etiam eodem die.

Sciendum est etiam, Cucurbitas cum successu umbilico sine scarificatione applicari. Vel decoquantur in aq. rosarum & aceto sequentia, scilicet; *bursa pastoris*, *polygonum*, *plantago*, *cichoracea omnia*, *acetosa*, *santalu*; additá paucá *camphurá*, *corallo*, & *hæmatite*. Hoc decocto foveantur hypochondria cum spongia, nec illinantur unguento santalino cum oleo nympheæ. Vel: permadescat linteum, *aceto rosaceo*, *oleo rosarum* & *aqua rosarum* cum pauca *caphura*, & subinde repetita vice fronte, & cervici admoveatur.

Vel: Gossypium, vel lana aquá frigidissimá madefacta immergatur aceto frigido, & imponatur suturæ coronali.

Vel:

℞ *aceti* ℥ vj
caphuræ gr. v

De-

Detineantur in ore, donec incalescat, tunc exspuatur.

Vel: aqua gelida in ore detineatur. FALLOPIO hoc erat in secretis, scilicet stupa madens succo sempervivi majoris, admota interfœmineo seu perinæo.

Bufo Junio veru ligneo transfixus & in umbra siccatus, manu detineatur, donec incalescat, potenter juvat, ut probatum est crebro experimento.

Testibus topica refrigerantia adhibeantur ex *aqua plantaginis*, *rosarum*, *aceto*, *&* *caphura*.

Quòd si hæc non juverint, detur Philonii Romani, vel requiei Nicolai, aut theriacæ recentis ʒß. usque ad ʒj in aqua plantaginis.

Cautio autem hîc adhibenda, ne refrigerantia intus dentur, cùm fluxio fit à frigido hepate, vel cùm sanguis est tenuis & serosus: nam tunc data frigida hydropem producerent.

Si talis hæmorragia his remediis non si-

ſiſtatur, tunc aperienda vena hepatica, interna, axillaris vel baſilica, id eſt, regia: nam his ſynonymis indigitatur, quæ in dextro brachio ſecatur, idque fit ad refrigerium ſanguinis & inſuffletur in naſum pulvis herbæ, quæ dicitur gratia Dei, ſeu herba Roberti: id quod etiam mirum in modum ſiſtit ſanguinem ex vulneribus fluentem: attamen ſedulò cavendum, ne naſum purget, ac mungat, niſi priùs ſedato fluxu.

Item contingit interdum, Peregrinantem fluxu alvi corripi: propterea ei poſſet eſſe impedimento ad conficiendum iter. ſic huic malo medebitur in ſequenti capite.

CAP. XIV.

De Dyſenteria.

SI fluor alvi præter Naturam (quæ ſe aliàs per hunc fluxum exonerare ſolet) contingat, tum æger non ſtatim fluxum ſiſtat, ſed permittat fluere peccantem materiam, poſtea incipiat uti cibis

bis astringentibus, ut *frixis*, *lacte amygdalino*, *pulte amyli*, *oriza*, & *farina avenæ*, *assatis carnibus*, & *aqua chalybecita*, in qua cibi coquendi. Abstineat à Vino, nisi magna adfuerit virium dejectio, tum utendum erit sero lactis, in quo calidi silices aliquoties fuerint exstincti, ut peccans materia minuatur.

Ad hæc sumitur uncia semis *myrobalanorum citrinorum* optimè pulverizatorum & misceantur cum *Syrupo violarum*, *aqua buglossi*, & *aqua plantaginis ana unciam unam* manè tribus horis ante prandium.

Postquam verò peccans materia ex parte est evacuata, & si quid periculi sit ab exulceratione intestinorum ob acrem materiam, tum in forma Clysteris adhibetur tale lavativum.

℞ ℔ j *aquæ hordei*, *in quo agitentur duo vitelli ovi.*
saccari rubri ℥ j

hoc

Hoc lavat sordes intestinorum, quod potest aliquoties infundi, ut exulceratio non augeatur. Si verò nulla appareat, præcavendum, ne eveniat, tum prædictum *Minorativum* præmitti debet, & sequens *Clyster* injiciendus:

℞ ℔j *jusculi hordei*
duos ovi vitellos
gummi Arabici }
pinguedinis renum } *ana* ℥ij
hirci }
olei rosarum ℥j
boli Armenæ }
gummi tragacanthæ } *ana* ℨiij

F. *Enema.*

Interim poterit uti veteri *saccaro rosato cum corallis rubris*, vel *usto ebore*, *electuario cydoniato*, & similibus.

Causa antecedens est revellenda & evacuanda in morbi principio per phle-

botomiam & purgationem, si nihil contraindicet. Nam *phlebotomia* Basilicæ humorum, visceruḿque incendium temperat, & efferum fluxum cohibet.

Purgatio, quæ per benigna medicamenta fit, brevi horarum spatio Naturam ab onere materiæ sublevat, quod alioquin longo tempore ipsa perficeret.

Præstantissimum hìc est medicamentum, nempe *Rhabarbarum pulverizatum*: quia purgando roborat & adstringit, idq́; detur bis in die *ad scrupulum unum cum myrobalanorum siccatorum scrupulo uno ex cochleari syrupi de cydoniis, vel granatis*. Sed purgatione majore non utendum, verùm duntaxat per *ἐπίκρασιν* humores biliosi, & mucosi evacuandi, nisi doloris tormentum mitigatum fuerit & ulcus delinitum:

℞ *Rhabarb. elect. in talleolas conscissi* ℈iiij

san-

ſantali rubri ℈j

Infundantur in aqua endiviæ per horas decem. Colaturæ unciarum duarum & ſemis admiſceatur ſyrupo de cichoreo cum Rhabarbaro uncia una fiat hauſtus, exhibendus poſtridie à clyſtere detergente.

In magna verò cacochymia ſic erit procedendum:

℞ *folior. agrimoniæ* } *ana manip.* j
cichorei }
florum violarum } *ana pug.* j
roſarum }
folior. ſenæ mundat. ℥ iij
ſeminis aniſi ℈ j

Ebulliant ſimul & ſemel in aq. communi. Poſtea detineantur in infuſione per horas quinque: Deinde colaturæ infunde *Rhabarbari in talleolas conſciſſi* — — ℥ j ſ
ſantali citrini ℥ j

Post horas octo exprime. Expressioni admiscè syrupi de cichoreo cum rhab. ℥j rhabarbari pulverizati ℈j. F. potio. Deinde in morbi progressu varietur purgatio.

Exhiberi etiam potest *Rhabarbarum pulverizatum siccatum, sed non ustulatum:* quia acrimoniam & mordacitatem acquirit. Detur à ℈j ad ʒj ſ cum jusculo addito rasuræ cornu cervi ℈j vel in forma boli cum Conservæ rosarum ʒiij. Et hoc facit ad adstringendum, cùm verò evacuanda erit materia, & non adstringere volumus, rhabarbari infusio danda erit.

Si Dysenteria sit à bile atra, detur *decoctum prunorum, foliorum senæ, epithymi cum pauco diacatholico.*

Vel:

℞ *Diacatholici* ℥ſ
Rhabarbari pulverizati ʒj

Cum saccaro rosato perlato fiat bolus.

Qui

Qui peregrinantur in Indiam Orientalem, interdum ex eſu putridarum carnium incidunt in dyſenteriam, quibus præſentaneum eſt remedium, *allium cum ſaccaro & ſucco citriorum*. Corpus ungendum linimento facto ex *oleo cydoniorum, oleo maſtychis; oleo myrtino, ana partes æquales, miſceantur cum pulveribus corallorum rubrorum, maſtiche, floribus granatorum & ſanguine draconis q. S.* Et ſemper poſt unctionem corpori applicetur linteum calidum quadruplicatum, hac cautione adhibita, ut parùm ſe moveat.

Quia ſæpè aër peregrinus, & mutatio regionum creant *febrem ardentem*, hinc ſi Viator habitaverit juxta ſtagnantes aquas, tum ratio habenda eſt ſanitatis, prout ſequitur. Capite decimo quinto.

Cap. XV.

De ardenti Febre.

SI Viator incidat in ardentem febrem, tum aër cubiculi alterandus *foliis rosarum, vitis, salicis, vel acetum aspergendum.*

Pro cibis uti debet *jusculo hordei, uvis passis coctis, avenæ jusculo cum pauco aceto, herbis refrigerantibus,* utpote, *lapatho, spinachiis, borragine, lactuca, endivia, & acetosa.* Pro potu utatur *aqua hordei*, vel *vino granatorum*, vel cum prædicto vino, *aqua limpida fontana misceatur* vel *julapio violarum.*

Si verò adsit magna debilitas poterit uti vino aquâ diluto. Caveat sibi à nimia corporis agitatione, & multiloquio, nec multùm dormiat. Inter linteamina pro refrigerio habere debet hircinum corium, quod Gallis, *marroquin*, & Germanis **Leder kühlt** dicitur,

citur, & hoc aliquoties cum recenti commutandum.

Ab ira, & triſtitia ſibi caveat, & utatur lenitivo, hoc eſt, *uncia una caſſiæ cum ſaccaro*, ex qua fiat bolus manè ſumendus: poſtea altero die curet ſibi tundi venam, & ſanguinem largiùs extrahi. Quòd ſi ſanguis niger, putridus & craſſus appareat, materiam præparet ad evacuationem, & aliquot diebus matutinis *unciam unam ſemis ſyrupi acetoſi cum tribus unciis aquæ endiviæ bibat*: poſteaad expulſionem materiæ utatur drachmá uná, vel *drachma una ſemis Rhabarbari*, quod per noctem in aqua endiviæ maceratum ſit: nam valida medicamenta hîc locum non habent. Si febris ſymptomata adfuerint, ut dolor capitis, narium hæmorragia, multæ vigiliæ, & linguæ incendium, de illis hactenus egi. Jam quædam ſequuntur remedia, quæ de linguæ incendio agunt in capite ſequenti.

Cap. XVI.

De Linguæ Incendio.

SI adſint ſigna, quæ indicent inflammationem linguæ, tum cavendum ab eſu, & uſu ciborum calidorum, & cum aromatibus mixtorum. *Abſtinendum* etiam à vino, & cura habenda eſt linguæ, quæ ſemper humectanda eſt, & nullo modo abradenda cùm eſt arida, ac tale electuarium jubeatur parari:

℞ *mucilag. ſemin. cydoniorum extractæ cum aqua hordei per lenem decoctionem* ℥iſ
Syrupi violarum
roſarum } *ana* ʒvj
Diamori

M. *fiat* Eclegma.

Hoc ſæpe utatur æger, vel talis ſyrupus in pharmacopolio præſcribatur:

℞ *mel-*

℞ *mellis rosati* ℥ i ſ

succi corticis nucum

immaturarum ʒ vj

siccorum foliorum ligustri

mororum rubi idæi

prunellæ } *ana* ℥ ſ

pisorum viridium

Bulliant simul, & optimum est remedium.

Obſervandum venit, *aquam prunellæ in ore detentam, & huic syrupo mixtam ac gargarizatam esse remedium expertum multoties à viro quodam nobilissimo.*

Si verò horum nihil ſit in promptu, tum proſunt *grana cydoniorum*, vel *cortex medianus tiliæ arboris, in aqua maceratus,* cui *aquæ* additur *cochlear unum aceti rosacei*, ita fit *mucilago*, qua oris humiditas conſervatur.

Quidam uſurpant *ſuccum expreſſum ex cancris fluviatilibus*, vel *ſalivam*, quæ ab ore equorum, qui purá putá avená utuntur, poſtquam aquati fuerunt, excidit. Nonnulli ſumunt *ſyrupum acetoſum ſimplicem cum aqua hordei*, & os gargarizant, quod etiam huic ſymptomati conducit.

Cap. XVII.

Quo pacto Viator à veneno ſibi cavere poſſit, vel ſi fuerit propinatum, quomodo cavendum.

SÆpe fit, ut Peregrinans veneno infeſtetur, & præſertim cùm degit in regione hoſtium: propterea bonum eſt, ut circa edulia, & potulenta cautè verſetur, &, cùm illis veſcitur, de ſapore bene judicet, ac quàmprimùm peregrinum odorem, vel ſaporem deprehendit, non famem expleat, ſed evomat. Con-

Consultum est, ut præservativo utatur, cùm ei inscienti venenum propinatum est. Ad vires veneni infringendum, docet AVICENNA, tale fieri *Electuarium*, quod *Theriacum* nominat, & sic conficitur:

℞	*rutæ viridis*		℥ j
	nucum à putamine mundatarum	ana	℥ ſ
	ficuum		
	salis		ʒ j

Omnia simul contundantur, & ante cibum utatur.

GALENUS dicit tale *Electuarium* fieri debere in hunc modum:

℞	*terræ sigillatæ*	*ana partes*
	baccarum lauri	*æquales.*

Cum melle despumato fiat electuarium.

Remedia simplicia sunt etiam utilia, ut *succus marrubii albi seu prassii*, *semen ru-*

ta, *radix aristolochiæ rotundæ*, *radix betonicæ*, & similium, quæ dantur ad drachmam unam. Item *unicornu rasum* optimum est, & ut verbis utar AMATI LUSITANI ramentum cornu animalis unicornu dicti in aqua acetosæ propinatum fuit cuidam, cui venenum in potu erat datum. Id de asini Indici cornu intelligi vult HERÆNIUS. MARBODÆUS *in sua dactylotheca* scribit, *Ætiten* lapidem valere contra venena, &, si mensæ apponatur, nullum venenum ibi posse subsistere.

Si fortè accideret, ut alicui *venenum calidum* sit datum, tum *his signis* id innotescet, *venæ intumescunt*, *facies rubet*, *& sudat*, *calet*, *sitit*, *& anxietate premitur*, *halitum difficulter ducit*, *oculi ad flavedinem inclinant*, *fœtet ei halitus*, *adsunt ventris tormina*, *stomachus cibum ægrè concoquit*, *& deliria apparent*. Cùm autem *venenum* est *frigidum*, *vertigo oboritur*, *caligant oculi*, *labia tremunt*, *& profundè dormit*.

Quàm

Quàm primùm hæc ſigna apparent, non eſt cunctandum, ſed ad remedia properandum. Si ergo in ventriculo hæreat, ſtatim *leni vomitorio ex aqua & multo butyro non ſalito*, confecto, ejiciendum: ſin verò ulteriùs corpus penetraverit, pugnandum erit *antidotis, ſudoribus*, *balneis*, & iis, quæ intus aſſumuntur, aut forinſecus ápplicantur. Somnus non eſt ei permittendus, ſtatim nauſea eſt movenda cum aqua tepida, in quam ponatur oleum olivarum cum pauca quantitate boli Armenæ, & pariter aſpergatur facies aquâ roſarum, & detur ei ſcrupulus optimæ theriacæ cum ſex granis margaritarum præparatarum, & duobus foliis auri, poſtea det ſe aliquantulum quieti. Deinde iteretur fortius medicamentum, ut vomere poſſit: Inſuper ſumantur *ſemina lini*, *fœnugræci*, & *malva herba*, omnia ebulliant in aqua cum bolo Armena & oleo olivarum, vel butyro, ſi oleum haberi non poſſit, & decoctum detur te-

pidum adeoque evomat. Attamen si res hoc modo non procedat, penna in oleum olivarum intingi, aut in fauces immitti poterit, sicque sibi vomitum provocet. Nec sufficit, ut semel, aut bis evomat, sed aliquoties, ac semper theriacam, margaritas & folia auri post vomitum sumat.

Aër cubiculi, in quo decumbit, venit alterandus iis, quæ Naturæ veneni adversantur, & post vomitus, si suspicio sit veneni residui, sumat validum Enema & Theriacam umbilico apponat, atque etiam omnia interstitia digitorum pedum Theriacâ illinantur.

Teneat in manu sinistra adamantem & in eodem brachio unum, vel duos carneolos gestet alligatos, postea hi lapides preciosi in furfures reponantur. Hoc enim modo vires suas iterum recuperant, &, si necessum esset uti suppositoriis, ramus corallinus ano indatur.

Ce-

Cepæ etiam coquuntur in cineribus, & soleis pedum alligantur; nam venenum potenter admodum trahent; attamen prædicta omnia præcedere debent. Hoc etiam utile est, ut senis quibusq; horis theriaca ei detur, adeóque & paries theriacá illinatur.

Venena ab animalibus corpori impressa, 1. curantur ipsorum retractione, & extractione, priùs quàm intrò penetrent. 2. per scarificationes, vulneris amplificationem, suctionem, cucurbitulas, topica, fomenta. 3. per instrumenta rei extrahendæ accommodata, 4. per ligaturas, cauteria, ustoriáque remedia.

Præterea alterandum id, quod dolorem creat, & Natura corroboranda pharmacis, antidotis. Ac licèt phlebotomia vires minuat: attamen hîc est necessaria, atque etiam diæta infringendo vim veneni, & morbificum characterem auferendo.

CAP.

Cap. XVIII.

De Veſicis, vel Exulceratione ex attritu calceorum & ocrearum excitatis.

SÆpe fit, ut Viatorem calcei, vel ocreæ premant, & lædant, unde fit, ut in propoſito itineris aliquo modo impediatur, cui rei nihil utilius eſt ad cutem exulceratam ſanandam, quàm ſi *calidus pulmo agni* illis alligetur & ad exſiccandum uſurpetur. *Veteres calcei* in cineres redacti, & adſperſi huic rei conducunt: Item docet KYRIANDER, quòd pariter utile ſit *gallinarum ſtercus* ſuperimpoſitum.

Si verò per agitationem itineris fiſſuræ in pedibus fiant, idem exiſtimat hoc unguentum utile per tres circiter noctes impoſitum, quod ſequenti modo componitur:

℞ *Ly-*

℞ *Lythargyrii argenti* } *ana*
Myrrhæ } *partes*
Zinziberis } *æquales*

Pulverizentur, & cum cera, virgineo melle, & oleo in sufficienti quantitate fiat unguentum.

CAP. XIX.

De Caligine, à nive oboriri solita.

ALiquando accidit, ut Itinerans tempore nivis iter suum conficiat: ideo ab albedine nivis excœcatur, quæ visorios spiritus dissipat. Ergo consultum est, ut *nigras vestes induat*, & *nigrum colorem manibus gestet*, hunc semper intueatur, quia nigredo spiritus opticos fovet, & congregat. Quum autem oculi sint membrum passibile, ac ab hiemis frigore & vento statim læ-

lædantur, operæ precium videtur, ut oculos ſpeculis muniat, nec manè jejunus iter faciat, quin priùs hauſtum vini biberit, ut frigus eò meliùs tolerare poſſit.

Res etiam odoriferæ huc conducunt, ut *moſchus*, & *ambra*, quæ in promptu habere debet, ut odore cerebrum confortet, & recreet; cervicem & collum martibus, & aliis id genus pellibus â frigore tueatur.

Ut autem manus & pedes eò meliùs rigorem hiemis tolerent, ſingulis diebus, antequam ſe ad ſomnum componat, ſalſa pedum lotione utatur, qua manus, & pedes optimè fricentur, ut robur eis concilietur, & adverſus frigus bene muniantur.

CAP.

CAP. XX.

Quid agendum Viatori, si vehementer alserit.

VIator non debet se statim calori admovere: sed hæreat in loco temperato, & aliquantulum huc & illuc exspatietur, ut paulatim incalescat. Si verò à frigore sit consternatus, poterit se aliquantulum deambulando exercere: postea membra curabit *ungi oleo Liliorum*, *anethi*, vel *Camomillæ*, ac tandem se lecto componere, & bene coopertus somnum capere. Præterea generosum vinum ei dabitur, parum *assæ fœtidæ*, *piper*, & *myrrham* olfaciat, ac tandem post horæ spatium cibabitur jusculo carnis, vel aliis cibis vires refocillantibus.

Celebris quidam autor *ait*, quòd si quis Viator velit se tueri à frigore, necessum esse, ut *nucem tritam* & *allium*

cum

cum jusculo carnis manè sorbeat. Alioquin secum gestabit composita; confectiones, ut pote *nuces conditas*, *cortices citri conditos*, & id genus alia, quæ hiemis tempore in usum veniunt.

Cap. XXI.

Si Viatori membrum congelaverit, quid agendum sit, docetur.

SI membrum aliquod congelaverit, tum detineat illud in principio aliquamdiu in aqua frigida, ut iterum sensum recuperet, idq; fricet *succo rapæ assatæ*, & *emplastrum ex rapis elixis* imponat. Si verò membrum sit lividum, tum oportet νέκρωσιν novaculâ chirurgi secare: Si verò per mare eundum esset, tum decet Viatorem curam sui habere, prout sequitur *Capite I. part. 2. hujus tractatus.*

Cap. XXII.

Quomodo Viator se gerere debeat, cùm à sodalibus ad nimiam potationem invitatur.

QUamvis supra modum bibere periculosum sit, & animus, ac corpus corrumpantur: attamen ubique eò deventum est, ut homo floccipendatur, qui non contra Naturam vinum immoderatè bibere possit, & more bestiarum vivere nesciat: propterea operæ precium esse duxi, addere huic modo peregrinandi remedia tollendi, & cavendi ebrietatem.

Atque hoc primùm dico, si ejus operatio à manifesta causa procedat, tum comedat pulmonem ovis, vel alterius animalis. Nam qui priùs pulmonem comederit, antequam bibat, is sine periculo multum bibere poterit. Verùm hanc Avicenna potestatem tribuit brassicæ, dicens: *Is, qui post po-*

potum brassicam, vel lactucam capitatam comederit, ne vapores adscendant, prohibet, sicut de pulmone dictum. Nonnulli rem certiorem esse volunt, ut quis priús succum brassicæ bibat. Præfatus AVICENNA docet etiam modum conficiendi syrupum, de quo si quis sumat unciam unam, antequam bibat, tum vix inebriari poterit. Talis autem est ejus descriptio.

℞ *succi albi caulis* } *ana* ℥ ij
granatorum }
Aceti ℥j

Ferveant ebullitionibus aliquot. F. syrupus.

ARISTOTELES, *oleum olivarum* optimum esse contrà ebrietatem, censet, qùum urinam potenter pellat, & adscendentes vapores prohibeat. COLUMELLA existimat, *absynthium* esse optimum, & pro summo habet remedio, nimirum, si herba usurpetur, ante-

quam quis bibat, & eo vinum temperet. HIPPOCRATES ait: *Nihil utilius esse, quam si quis utatur allio post ebrietatem: nam sitim tollit, quæ à vino promanat.* HORUS quidam Rex Assyriorum docet, *hirundinem pulverizandam, & cum myrrha, & vino bibendam* ante temulentiam. Scribit etiam PLUTARCHUS, Medicum in aula DRUSII *fili Tyberii* sæpe se vino inebriasse, & neminem potuisse illum reddere ebrium: tandem compertum est, quòd, antequam biberet, priùs semper *quinque*, aut *sex nucleos amygdalarum amararum*, commederit. *Cappares* & *olyvæ* usurpari possunt. DIOSCORIDES cum AVICENNA laudat brassicam.

Plerique laudant dulcia, & optima esse putant: quia vias obstruunt, nec vapores adscendere sinunt. ALEXANDER BENEDICTUS ebrietatem, & omnem vini usum immoderatum docet expellere, *dicens*, tribus diebus continuis *ovum ululæ* cum pauxillo vini vel aquæ,

aquæ, quæ ex vite fluit, cùm amputatur, sorbendum esse.

Ita finem his impono, ut hanc quæstionem aggrediar, quo pacto, cùm quis se vino ingurgitavit, & sollicitus est de morbo, adeò ut iter suum non bene possit conficere, & hac de causa impediatur, se gerere debeat. Cap.23.

Cap. XXIII.

Quomodo; qui vino se replevit, & prædictis remediis non est usus, vitam instituere debeat, ne ab instituto itinere avertatur.

Liquidò constat, vomitum post nimiam ingurgitationem esse spurcam actionem, quæ bestiam sapit: adeò ut non solùm mundo sit scandalum: sed etiam Deo res sit abominanda, & ab eo magnopere prohibita, prout apud Esaiam, & aliis in locis hujus rei fit mentio, quum vinum solùm ad lætitiam conciliandam, non autem

tem ad ebrietatem à Deo ſit creatum, juxta doctrinam ECCLESIASTES. Sed tamen dicitur: *Ubi inebriari eſt honor, evomere non eſt dedecus*: propterea dico, quòd juxta ſententiam omnium virorum doctorum ex omni repletione ſequatur vomitus, tanquam vera medicina, nimirum, ſi ſponte fiat; vel ſi non procedat, tum ſalutare eſt, ut *aqua tepida, oleo olivarum*, vel *penna*, vel *aſſumptione oxymellis ſcyllitici*, vel *raphani ſeminibus* provocetur.

Quòd autem hæc vera ſit curatio, teſtatur HIPPOCRATES his verbis: *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curantur inanitione*. Rationem reddit GALENUS *in comment.*, quia omnis ægritudo curatur ſuo contrario. Poſtea præcipitur, ut ebrio ſoleæ pedum *ſale*, & *oleo olivarum* friantur, ut vapores infrà revellantur, & ſomnus ei in loco obſcuro, & à tumultu remoto reconcilietur. Quòd ſi non ſubſequatur, tum unganturna-

res & tempora *oleo violarum* cum *aqua rosarum*, & pauxillo *camphora* ſimul mixtis, &, ſi evigilaverit, tum cibandus erit fructibus aſtringuentibus, utpote, *malis granatis*, *pyris*, *meſpilis*, vel *pomis cydoniis*, ut ventriculus claudatur, & caput à vaporibus minùs tentetur. Aliis cibis etiam utetur, utpote aſſatis, *lentibus*, *lactucá & braſſicá* leniter coctis. Poterit etiam uti jure congelato ex perna ſuilla.

Lapis amethyſtus occulta proprietate adſcendentes vapores & capitis dolorem arcet, ſi umbilico alligetur. Si verò poſt ebrietatem capitis dolor obveniat, laudatur ſequens remedium, nimirum, ut capiti *oleum camomillæ* affundatur, vel *fascia*, *in qua nuclei amygdalarum amararum cum oleo roſarum* fronti & temporibus applicetur; vel (id quod pro certo habetur) ei teſtes linteo, quod in aceto fuerit intinctum, humectentur. Et hæc dicta ſint de ebrietate & ejus remediis, ſequitur, ut de cereviſia agamus.

Cap. XXIV.

Cùm contingit Peregrinantem aliquem locum accedere, in quo nullum habetur vinum, sed necessum est, eum bibere Cerevisiam, quomodo se gerere debeat.

IN multis provinciis Cerevisia communis est potus: nam vinum haberi ubique non potest, ut in quibusdam locis septentrionalibus.

Fit autem Cerevisia primò ex hordeo, avena, vel tritico cum multo vel pauco lupulo, ex recenti vel stagnante aqua. At, quomodocunque fiat, semper est frigida in secundo gradu & humida in tertio: propterea Viatori incumbit, ne acida sit, aliàs ventriculum corrumpit. nam si talis sit, nocet, præsertim orificio ventriculi propter nervos, qui sunt acuti sensus, ut testatur HIPPOCRATES *sectione quin-*

*ta aph.*18. Ergo talis potus debet esse limpidus, non crassus: nam talis Cerevisia pinguefacit, & jecur obstruit, calculum renum, asthma & excrementitias humiditates in corpore gignit. *Secundò* fieri debet ex optimo frumento, non corrupto, vel impuro: nam, quò melior est fructus, eò sapidior est cerevisia, & Naturæ amica. *Tertiò* talis cerevisia optimè coqui debet: nam quæ non bene cocta est, difficulter concoquitur, flatus parit, dolorem & tormina creat. *Quartò* non debet esse nimis recens, aliàs urinam retardat, & alia inducit symptomata, non secus ac quæ perperam cocta. *Quintò* debet moderatè bibi, ne fiat ebrius. Nam ebrietas cerevisiæ longè periculosior est, quàm vini. Ratio est: quia crassiores gignit vapores, quàm vinum: ideo difficiliùs & tardiùs consumuntur, atque ebrietas diutiùs durat.

Si verò contingat, ut in convivio et vinum & cerevisia offerantur, tum debet

à potu cerevisiæ initium facere : quia cerevisia habet abstergendi virtutem, hoc est, tollit eluviem, quæ in orificio ventriculi colligitur, & illum ad expulsionem præparat, ut cum chylo non misceatur. De Cerevisia jam satis dictum. Jam scribere est animus, quo modo quis se munire possit contra alias Impuritates externas.

Cap. XXV.

De modo expellendi pediculos ex vestibus, vel alio quovis loco.

ACcidit multoties, ut Viator illuvie pediculorum infestetur: idque interdum à vaporibus humidis & corruptis, qui inter cutem & carnem hærent. Interdum etiam fit, quotiescunque non mutantur vestes, sed unâ eademque utuntur peregrinantes, quæ illuvies onerosa, & in omnibus pan-

dochæis est abominationi: ideo prævidendum, ut illi rei per aliquod medium occurratur. Hîc, dicit ORIBASIUS, optimum esse, præparari sequens Unguentum, quod illuviei applicetur & locus inungatur:

℞ *staphysagriæ* ℥ j
salis nitri } *ana* ʒ ij
sandaracæ }

Hæc singula optimè terantur cum duabus unciis aceti scyllitici, & sufficienti quantitate olei camomilli; fiat Linimentum.

Vel sumatur *staphysagria, helleborus albus* & *nitrum*, ebulliant in oleo olivarum, & inungantur loca.

Item *argentum vivum mortificatum cum oleo rosarum*, quod remedium simile est præcedenti, atque etiam *auripigmentum*, vel *lithargyrium* cum *veteri oleo* ebullitum cum *pauco aceto*. SERAPIO censet, sequens remedium esse omnium optimum:

℞

℞ *aluminis*	}	*ana*	℥ j
staphysagriæ			
aloes	}	*ana*	℥ ß
baurach			

Terantur & misceantur cum aceto scyllitrio.

Item lotio indusiorum & vestium laudatur, quæ fit aquá salsá, vel aquá mariná, in qua baccæ lauri, vel lignum tamarisci, vel alumen ebullierint, & hæc permittantur exsiccari, ac ad usum cottidianum serventur, vel indusiis & vestibus flores lavendulæ aspergantur.

VARIGNANA docet, in aqua ebulliendum esse allium silvestre seu scordium & bibendum, ita à toto corpore omnes pediculi expelluntur. Si verò in palpebris pediculi lateant, tum fricentur palpebræ cum aqua sulfurea, aut iis remediis, quæ antea dicta sunt, liniendo ex iis pilos palpebrarum. Quòd

ſi pruriant, fricentur foliis ficûs; vel ſuccus cepæ exſiccatus cum thure miſtus removet pruritum, qui fit à phlegmate ſalſo in palpebris & oculis. Flos æris primò combuſtus, deinde aqua æris combuſta removet pruritum palpebrarum.

Contingit etiam, latos pediculos Iter facientium pudenda, ſupercilia, barbam & axillas infeſtare, qui hoc pacto expelli poſſunt: *Ovum* coquatur ad *duritiem*, & *albumen* extrahatur, imponatur ſupra locum, in quo ſunt tales pediculi, hoc pacto à cute extrahuntur, & facilè colliguntur; vel applicetur *lene linteum* inter cutem & ovum, tum tali linteo adhærent, ita quivis ab iis liberatur, ut docet ARNOLDUS. Si non poſſint hoc modo tolli, locus pediculis plenus fricetur linteo, quo utuntur aurifabri ad deaurandum. De his jam ſatis dictum, nunc de Aqua vinum refrigerante agendum.

CAP.

Cap. XXVI.

Quomodo tempore æstatis inter Peregrinandum Aqua possit parari ad vinum refrigerandum.

Sæpe fit, ut is, qui se committit itineri, veniat ad locum, in quo aqua fontana calida reperitur, & non possit vinum frigefieri: propterea oportet Peregrinantem cum fastidio bibere, nisi de aquæ refrigerandæ modo sit edoctus: ideo ejus rei hîc faciemus mentionem.

Nonnulli asservant glaciem intra terram sepultam cum stramine secalis per annum, quam tempore æstatis in casu necessitatis ad refrigerium eruunt & vinum suavius reddunt. Cùm verò in quovis loco non asservetur: ideo necessum est, Peregrinantem secum portare tres libras nitri, &, cùm necessitas postulat, mediam partem vasi aquâ

pleno imponere, continuò agitando, ita calor aquæ exhalat, & optimè refrigeratur vinum in illo impositum. CARDANUS ejus rei facit mentionem. Nunc sequitur, quomodo Viator à solis Ardore & rigido Aëre se munire debeat.

CAP. XXVII.

Quomodo Itinerans faciem à vehementi solis Ardore, & rigido Vento munire possit.

INterdum fit, ut Viator vehementem solis æstum tolerare non possit, qui ejus cutem & faciem adurit: etiam aliquando aër labia findit & exasperat, adeò ut fissuris infestetur: propterea docet AETIUS ANTIOCHENUS, ut curet ebulliri in vase æneo *libram lupinorum in sesquimensura aquæ*: attamen macerari debent priùs per triduum in prædicta aqua, & cùm satis ebullierint, tum

tum exprimi, poſtea iterum in eadem aqua ebulliri, & in vaſe vitreo aſſervari debent. Itaque exigente neceſſitate, cùm ſol admodum ardet, facies, juxtaq́ue collum liniri debent. Quòd ſi ventus Peregrinanti labia exaſperaverit, prout Boreas flans à ſeptentrione ſolet facere, tum ungantur *pinguedine anſeris*, vel *bubulá medullá*, aut *arviná*, vel ſevo mixtis cum ſempervivo, & terebinthina, vel ungi poterunt œſopo humida, quæ in pharmaceuticis officinis habetur, vel per noctem applicetur parum *maſtichis in vino*, & manè ungantur.

Item: Sæpe vidi uſurpari in hoc caſu *ſordes aurium*: id quod admodum ſalutare eſt, atque etiam *tela aranearum* conducit, ſi applicetur. Et hæc ſatis dicta ſint, ſequitur quo pacto Viator ſe gerere debeat, cùm forte fortuna eum cibis perperam coctis veſci contingit.

Cap. XXVIII.

Quid agendum Peregrinanti, si ex Piscibus malè coctis, vel emarcidis, & diu asservatis Carnibus morbum contraxerit.

PEregrinanti multa accidunt in locis peregrinis. Aliquando flaccidi & putridi Pisces ei in mensa apponuntur, aliquando non sunt satis cocti. Interdum etiam diu asservati fuerunt, cùm ex æneo cacabo deprompti & cooperti fuerunt. Insuper etiam non rarò fit, ut Carnes ter aut quater coctæ, vel carnes morbidorum animalium apponantur, unde corporis inflatio, retentio urinæ, asthma, febris ardens, syncope & frigidus sudor oriuntur: propterea, ut quivis sui rationem habeat, nec suo appetitui nimis indulgeat, suadeo. Itaque si cibus statim

tim ei non arrideat, ab illius eſu & uſu abſtineat: quòd ſi contigerit, illum tali cibo uſum fuiſſe, optimum eſt, ut utatur aliquo Vomitorio & ſtrenuè vomat. In hunc finem:

℞ *ſalis vitriolati* ʒſ *vel* ℈j
vel croci metallorum gr.iij *vel* iiij
vel guttæ gambæ gr.iij
ſyrupi violarum ʒij
aquæ malvæ ℥ij

M. Fiat potio.

poſtea ſumat *vinum mixtum cum pipere*; vel comedat poſt vomitum *allium*, & bibat cum vino *drachmas duas calaminthæ*, vel petat ex pharmacopolio ʒj *diatrionpipereon*, vel *diacalamenthum*, & utatur cum generoſo vino, ſi verò hoc non juvaret, tum Clyſter erit aſſumendus, ut flatus diſſipentur.

PARS SECUNDA medicinæ Peregrinantium.

CAPUT I.

Quomodo Viator se gerere debeat, si in Mari, aut fluvio sit navigandum, ut Nauseam vitare possit.

QUi navigat, is debet esse instructus medicamentis appetitum provocantibus: nam ut plurimùm sequitur inappetentia. Hæc, quæ sequuntur, habere debet, nimirum, *mala cydonia, granata, ribes conditas, omphacium, acetosam, mala aurantia, mala acida, pruna Damascena, cappares, olivas cum aceto*, & similia.

Ut autem nauſeam vitet, *abſynthium & pulegium cum oleo & aceto terere* ac nares interiùs frequenter fricare debet. *Semen apii*, cùm bibitum fuerit, nauſeam, ne commoveatur, prohibet, & ſedabit eam, cùm commovebitur.

Prohibet etiam nauſeam uſus eorum, quæ os ſtomachi confortant, & vapores ad cerebrum adſcendere prohibent, ut ſunt, *mala maciana, lentes cum aceto comeſta*, & ponere in cibis *omphacium*, & parum *calamenthi*, comedere *panem intinctum & maceratum in vino malvatico*, aut in alio quopiam redolenti. Nec continuò aquam, quâ vehitur, aſpiciat, moderatè cibo & potu utatur, donec ſtomachus aſſueſcat, &, ſi Nauſea oboriatur, eam libenter admittat. Si vomitus immoderatior ſequatur, tum ſe gerat, prout ſequitur.

Cap. II.

De Vomitu inter navigandum.

SI vehemens ſequatur Vomitus, prædictis mediis, quæ erunt ad manum, utendum, *vinum abſynthites* bibat, item *apii ſemen*, quod priùs in aceto fuerit maceratum, *abſynthium* olfaciat, vel in aqua elixum in forma emplaſtri ſupra orificium ventriculi imponatur; vel *panem toſtum* aceto & pulvere nucis moſcatæ conſperſum, comedat; vel ex *malo cydonio* fiat puls cum aqua althеæ, extendatur in linteo, & calidè apponatur. Huc faciunt ad unctionem ventriculi corroborandi *olea macis, nucis moſcatæ*, & *de mentha*, vel *decoctum abſynthii* factum in vino, addito *pulvere cariophyllorum*, vel *cruſta panis* aliquantulùm toſta & vino madefacta, aſperſo pulvere cariophyllorum, ventriculo applicetur; vel *cineres ex ligno quercino* in vino malvatico commiſceantur inſtar cata-

pla-

plaſmatis, & in ſacculo ventriculi regioni calidè applicetur, aut in parva ſcutella lignea, cui linteum ſit ſuperinditum adhibeatur, vel fiat tale *Linimentum:*

℞ *oleor. maſtichis* } *ana* ℥ ſ
de mentha
olei nucis moſcatæ facti per expreſsionem ʒ j
Olei ſemin. fœniculi deſtillati ℈ ſ

F. *Linimentum molle, quod ter quatérve de die uſurpandum ad ventriculum inungendum.*

Communiter loquendo in omni vomitu valet ſequens Pulvis, ſi cibis apponatur:

℞ *corticis citri*
ligni aloes
maſtichis
Semin. coriandri
portulacæ
Sandali muſcatelli
} *ana* ʒ j

Fiat

Fiat Pulvis & ponatur in cibis.

Item, *Somnus profundus* multùm prodest & pariter *Sudor*. Quare oportet eum provocare cum narcoticis secundùm temperamentum. Conferunt etiam *ventosæ*: si verò fiat cibi expulsio per superiora, fiat ventosatio in inferioribus, & è converso: at in cholerica fiat in utroque latere. Vomitus autem melancholicus non est restringendus, nisi quàm tardè fieri potest.

Intelligendum, etiam *fabas* cum cortice & modico aceti multùm valere contra vomitum. Similter, si *lentes* coquantur & prima aqua abjiciatur, & iterum coquantur cum aqua & aceto. Conducit etiam *Calefactio extremitatum*, aut earundem infrigidatio, estque mirabile. Si corpus fuerit plethoricum, & aliæ indicationes conveniant, tum potest fieri phlebotomia.

In causa calida odoretur *camphora*, & in causa frigida, *moschus* & *ambra*. Si vomatur

matur ſanguis, fiat phlebotomia, & ſi ſit à capite, tundatur vena cephalica. Si ab aliis partibus, mittatur ſanguis de hepatica. Deinde fiant frictiones extremitatum validæ. Utatur *ſucco plantaginis*, & ſequenti Electuario:

℞ *Diacodii*
Diapapaveris
Triaſantali
ſaccari roſati compoſiti cum roſis ſiccis
cydonioru͂ conditorum cu͂ ſaccaro ſine ſpeciebus. } *ana* ℥ j

M. fiat Electuarium.

Valent etiam coglutinantia, ut eſt, *virga paſtoris, burſa paſtoris, hypociſtis, bolus Armena*, & ſimilia, ſive interiùs aſſumpta, ſive exteriùs applicata.

Item utile eſt, ut poſt quemlibet paſtum

ſtum comedat fruſtum Mali cydonii conditi, vel Coriandrum præparatum cum ſaccaro.

Ultimum autem remedium eſt, potare *opii gr.* iiij *cum ſucco plantaginis & croco.*

Quòd ſi Fœtor maris ei ſit contrarius, faciat, prout ſequitur.

Cap. III.

De Maris Fœtore.

QUi æſtate iter ſuſcipit, is incipiat odorari *folia roſarum rubrarum, ſantalum, camphora, vitis* vel *ſalicis folia,* ſi haberi poſſint, *malum cydonium, malum aurantium, poma, pyra* & ſimilia, vel tale *Pomum ambræ,* quod ſubinde odorabitur:

℞ *Karabi albi* } *ana* ℥ij
Laudani puri }

roſa-

rosarum rubrarum		
corallorum rubr.		
styracis calamitæ	*ana*	℥j
mastychis		
resinæ pini		
Florum Nenupharis		
boli Armenæ	*ana*	℥iſ
ambræ		gr. iij
camphoræ		gr. v.

Pulverizanda pulverizentur, & in calido mortario fiat Pomum, quod l getur in sindonem.

Tempore hiberno conveniunt *Angelica, zedoaria, bacca lauri, cariophylla, majorana, rosmarinum, cortices mali citrii*, vel fiat tale Pomum:

℞ *Laudani*	℥ſ
styracis calamitæ	℥ij

ma-

maſtichis		ʒ ſ
cariophyllorum	*ana*	℈ j
nucis moscatæ		
croci		
granorum kermes		
ligni aloes		
moſchi in aqua bugloſſi ſoluti		gr. vj
ceræ albæ		℥ ij

Fiat ex his in calido mortario Pomum.

Si verò corrupta Aqua, vel turbida ad coquendum eſſet adhibenda, ſequenti modo procedendum erit.

CAP. IV.

Quid de Aqua turbida, corrupta, & ob venenoſitatem ſuſpecta, agendum ſit.

IN locis peregrinis aliquando noxia aqua, quæ corrupta & turbida, in uſum

ſum ſumenda eſt, nam aqua, niſi excoquatur, malum affert & cruditatum cauſa eſt, pejor in vallibus, quàm in montibus. Propterea ſuadet AVICENNA, talem aquam per alembicum deſtillare, vel ex vaſe uno in aliud per filtrum colare, vel terra ſumenda, quæ omnium mineralium ſit expers, & ponenda in eadem aqua; poſtea ibi quieſcat, donec ſpiſſitudo reſideat: percoletur per ſaccum plenum arena & lapillis: id fiat bis aut ter, donec ſapor & turbiditas evaneſcant. Alii volunt alumine purificari.

Non eſt conſultum in peregrinis locis, & præcipuè in regione hoſtium, aquâ ciſternæ ad coquendum cibos uti: ſed puteali, quæ ſic *probanda* erit: *Primò*, aqua putei extrahenda erit: *poſtea* iterum implendus, & purum linteum in eodem ad duas horas ſuspendendum: *Deinde*, permittatur exſiccari, & videndum, num maculas quasdam contraxerit; nam, ſi quæ appareant, tum aquam eſſe

eſſe inſalubrem, conjiciendum, & ab ejus potu abſtinendum.

Sæpe Peregrinantibus membrum virile variis de cauſis corrumpitur, quarum non eſt heic facienda mentio, quũ non ubique poſſint haberi Chirurgi: propterea de eo ſcribendum aliquid.

Cap. V.

De periculoſis Accidentibus, quæ ſæpe Peregrinanti in membro virili eveniunt.

QUum ſæpe magnum in itinere occurrat periculum, interdum à ſudore, interdum à noxia humiditate, etiámque à mulieribus, & aliis de cauſis, conſilium eſt, ut Viator ſe purum & mundum conſervet. Quòd ſi contingat, ut in membro foramina accidant, debet priùs ea lavare cum vino, in quo aloe fuerit contrita, & ſi hoc ſit debile, adeò ut non poſſint mundificari, tum talis aqua convenit:

℞ *Tuthiæ*
viridis æris combusti } ana ʒi ſ
aq. plantag. ℥ iij

Hæc probè bulliant in igne: dein applica floccos ex linteo, (qui Gallis *charpie* dicuntur) foraminibus, & cùm pura fuerint, tum impone illis floccis ſuccum, qui extrahitur ex foliis liguſtri (Gallis *breſillon*) nam optimè ſanat. Si verò haberi non poſſit, tum conficitur *nobilis pulvis*, qui *ex lapillis carpionum* componitur: nam admodum exſiccat, & multùm juvat; vel fiat *ex corticibus cucurbitarum*; vel *ex mediano cortice alni*: attamen ſi contingat ſummum creari dolorem, & nõ poſſit ęger quieſcere; tum ſumat *hyoſcyamum*, *malvam*, *altheam*, *ſemen lini* in pulverem redacti, *hordei*, & *fabarum farinam*, *pulverem molendini*. Hæc coquantur in igne, & incorporentur *cum oleo roſarum*, & imponatur: ita dolorem demulcet; vel, ſi non ſufficiat, poterit

tali

tali unguento pars affecta ungi:

℞ *oleorum rosarum* }
violarum } *ana* ℥ j
cerussæ cum aq. }
rosarum contritæ } *ana* ʒ j
camphoræ }
opii ℈ ß
ceræ albæ ℥ ß
ovorum vitellos No. iij

Fiat unguentum molle.

Quòd si adesset corruptio, vel membrum madore diffluerer, tum sumat *boli Armenæ* & *aloes ana* partes æquales. *Fiat pulvis & membro* inspergatur.

Accidit interdum, ut membrum tumeat, & pellis corrumpatur: propter ea foramina videri non possunt, tum membrum humectandum *lacte capræ*, in quo *serpentaria* fuerit cocta, vel eadem herba poterit alligari, vel *herba Roberti* poterit contundi inter duos lapides, & permittatur ebullire *in oleo rosarum*, &

parti affectæ applicetur. Item hoc etiam utile est:

℞ *Ol. ovorum* }
rosarum } *ana* ℥j
tuthiæ præparatæ ʒiß

Alliga supra locum affectum.

Ultimò hoc Remedium conducit, quod est ἐυπόρισον:

℞ *Stercus ovium, quod ebulliat in aqua & in modum emplastri calidè appone supra partem affectam:*

Hac medicina tumor tollitur & dissipatur.

Si verò exulceratio sit in meatu urinario, utile est, mumiam illi injicere, quæ prostat in pharmacopolio.

E re peregrinantis erit, caput & barbam munda servare; nam reliqua mem-

bra

bra puriora redduntur, & caput minùs læditur: ideo ſequentem in modum procedendum erit.

Cap. VI.

Quomodo quis caput & barbam pura reddere poſſit.

SÆpè contingit, ut Viator in locum veniat, in quo nullum lixivium haberi poteſt: ideo ſi nullum remedium reperiatur, hîc docetur modus conficiendi lixivium pro capite. Accipe *ſaponis libram unam, radicum violarum quartam partem, ligni paradiſi, majoranæ, baſilici ana drachmam unam, cariophyllorum, nucis moſcatæ, foliorum roſarum rubrarum ana drachmas duas.* Omnia probè conterantur, & fiant globuli aliquot, ut in caſu neceſſitatis ad capitis lotionem utatur cum aqua tepida, in qua manipulus cicerum ebullierit, horum globulorum unus adhibeatur, dehinc

exſiccetur, & iterum in uſum transfe-ratur.

Cap. VII.

Quænam vulgaria remedia per mare vehentibus, geſtanda.

CUm in mari, vel in navibus nullum pharmacopolium haberi poſſit, tum docet JOANNETINUS DE VIGO *libro ſecundo de vulnerum remediis*, in navi peritumChirurgum eſſe habendum, qui ſecum geſtet in capſula ad morborum præcautionem *bolum Armenum, myrrham, thus, aloen, ſanguinem Draconis*, quibus uti poterit in oſſium fracturis, hæmorragia, vulneribus, *alumen, vitriolum & mel*, ut ea præparet ad mundificandũ vulnera, *unguentum Ægyptiacum, aquam aluminis, terebinthinam, mel roſarum* ad vulnera, *lithargyrium auri & argenti, ceruſſam, ceram albam*, & *oleum olivarum* ad componendum emplaſtra.

De-

Debet etiam geſtare *emplaſtrum de be-tonica*, vel *gummi elemi*, prout DEVI-GO ambo deſcribit, & *album Rhaſis*, *ſpanadrap etiam VIGONIS, Diachylum & unguentum Apoſtolorum.*

Quod ſpectat ſyrupos, *ſyrupum aceto-ſum ſimplicem, ſyrupum de endivia, ſyrupum de duabus radicibus ſine aceto, mel roſatum cum aquis deſtillatis endiviæ, ſummitatum lu-puli, borraginis, abſynthii, & fumariæ*, ut febres digerere poſſit, & ad purgan-dum ſecum habere debet *Electuarium di-aphanicum*, *electuarium de ſucco roſarum*, *Diacatholicon*, & *caſſiam fiſtulam*.

Quoad pilulas, habere debet *pilulas Ruffi, de hiera, de fumo terræ, de rhabar-baro.* Item: *fief album cum aqua roſarum*, ſi quis defectus oculis adſit. Et ad emol-liendum, *oleum roſarum, oleum myrrhæ, o-leum violarum, camomillæ*, & *omphacinum*, *farinas fabarum, viciarum, fœnugræci* & *ſeminis lini*. Scribit idem author mo-dum, quo pacto chirurgus in mari o-

mnibus febribus occurrere possit, qua de re sequenti capite agemus.

Cap. VIII.
Qua ratione in mari omnibus febribus occurrendum sit.

JOANNITIUS vult, ut juxta regulam HIPPOCRATIS materia priùs digeratur, hoc est, præparetur ad expulsionem, & ante omnia docet, quomodo tertianæ, quæ fit è cholera, occurrendum:

℞ *Syrupi acetosi simpl.*
violati } *ana* ℥ß
de endivia.
Aquar. endiviæ
violarum } *ana* ℥j
buglossi

Misce, fiat haustus.

Si verò cholera mixta esset cum phlegmate, sequenti modo procedendum:

℞

℞ *Syrupi de endivia*
mellis rosati
syrupi de duab. rad. } *ana* ℥ſ
cum aceto
Aquar. endiviæ
buglossi } *ana* ℥j
lupulorum

Misce, fiat haustus.

Si verò fuerit febris quotidiana, quæ à mediocri sanguine fiat:

℞. *Syrup. de succo acetos.*
de endivia } *ana* ℥j
violati
Aquar. endiviæ
buglossi
lupulorum.

Misce, fiat haustus.

At ſi maligna fuerit febris, tum hoc pacto ei occurritur:

℞ *Syrup. de ſucco acetoſæ, de acetoſitate citri* ana ℥ j

Aquar. de endivia, bugloſſi, acetoſæ, lupulor. ana ℥ j

Miſce, fiat hauſtus.

Quòd ſi per aliquot dies materia febris ad excretionẽ fuerit præparata, tum ſequenti modo progrediendum, & tale Minorativum uſurpandum:

℞ *Caſſiæ electæ* ℥ ſ

Diapruni non ſoluti ʒ vj

Cum ſaccaro fiat bolus, vel *cum aqua endiviæ fiat potio addendo ſyrupi violati unciam unam.*

Sed

Sed cum Magnatibus, qui ſubtile Medicamentum cupiunt, ita procedendum:

℞ *Mannæ electæ* }
caſsiæ extractæ } *ana* ℥ſ
Aquar. endiviæ }
violarum } *ana* ℥j
buglosſi }
Syrupi violacei ℥j

Miſce, fiat potio.

Tandem præſcribit idem JOHANNITIUS communi homini plenam Purgationem hoc modo:

℞ *Caſsiæ recens extractæ* }
Diacatholici } *ana* ℥ſ
Elect. ros. }
mellis ros. } *ana* ʒiiſ

Cum decocto communi fiat potio addendo ſyrupi violati unciam unam.

Pro Nobilibus & Magnatibus ita præſcribit:

℞ *Caſsiæ extractæ* }
mannæ electæ } *ana* ℥ ſ

Vel loco *caſsiæ Diacatholici* ʒ vj
elect. roſati Meſue ʒ i ſ

Vel loco hujus *Diapruni ſolut.* }
& *Rhabarbari præparati* } *ana* ʒ ſ

Miſce, & cum decocto communi fiat potus cum uncia una ſyrupi violati.

Febris autem continua ſic erit expellenda:

℞ *Casſiæ extractæ* }
Diapruni non ſoluti } *ana* ℥ j

Cum ſaccaro fiat bolus, vel cum aqua endiviæ & ſyrupo viol. fiat brevis potio.

Vel pro Nobilibus ita poteſt parari:

℞ *Caſsiæ extractæ* }
mannæ electæ } *ana* ʒ vj

Dia-

Diapruni non soluti ʒij
cum aqua endiviæ ℥j

F. Potio.

Post septiduum vult venam secari, & post triduum Purgatio instituenda in hunc modum:

℞ *Tamarind.* ʒiij
cassiæ extract. } *ana* ʒvj
diacatholici
elect. de psyllio ʒj

Misce, & cum decocto communi fiat potio.

Si verò adsit talis febris, quæ maligna dicitur, hoc modo vult procedi præfatus Author, nec omitti venæ sectionem:

℞ *Mannæ elect.* } *ana* ℥j
cassiæ extract.

diacatholici } *an.* ʒijß
tamarindorum

Aquarum buglossi
melissæ } *ana* ℥ j
acetosæ

Misce, Fiat potio.

Tandem vult, ut peccans materia expurgetur, & medicamenta ad omnes humores dirigantur, ac non solùm unum respiciant, ut vult AVERROES. & hoc Medicamentum hìc præscriptum habetur:

℞ *Diacatholici* ʒ vj
elect. diacassiæ ℥ j
elect. rosarum ʒ j
tripheræ persicæ } *ana* ʒ ij
diaphœnici

Cum decocto florum & fructuum cordialium fiat potio.

Multa in hoc argumento præscribit prædictus Author, quæ prolixum esset heic describere.

C A P.

Cap. IX. & ultimum.
De Peste.

PEstis accidit ex aëre corrupto, nam corruptus aër ſpiritus proximorum humorum inficit & interficit, quos apprehendit, ſicut morbida facta pecus totum corrumpit ovile.

Accidit etiam ex fœtore putridarum paludum, & cadaverum. Præterea peſtem faciunt tempora pluvioſa, non naturalia, unde in Autumno ſæpe peſtis & plura genera morborum accidunt: quoniam noſtra corpora, quæ præcedenti Æſtate malis fuére fructibus repleta, & æſtivis caloribus relaxata, adveniente Autumno, in quo pluviæ & venti maximè accidunt, ſubito frigore corripiuntur.

Item Peſte faciliùs humida corpora, ſordida, fœtida, & humoribus plena, quàm bene temperata, infi-

ciun-

ciuntur: hinc eſt, quòd Peſtis plerunque in ignobiles graſſatur, qui habitant in domibus fœtidis, & qui veſtimenta ſudore ſordida geſtant, quique frequenti coitu utuntur, & otioſa quiete, ac artificii expertes torpeſcunt, & diem in noctem ſomno convertunt.

Secundùm AVICENNAM Peſtis ſæpe accidit poſt ſteriles annos, ac præcipuè quando poſt penuriam ſequitur fertilitas: nam corpora tempore indigentiæ fructibus, & malis cibis nutriuntur, replenturque malis humoribus: alii panis aviditate diu eſurientes, adveniente fertilitate neſciunt expleri ad ſaturitatem, & tunc propter repletionem Peſtis generatur.

Secundùm *Aſtrologos* conjunctiones trium ſuperiorum Planetarum in noſtra corpora vim maximam habent, & ſolent producere Peſtem. Et Ecclypſes Lunarum, conjunctiones & oppoſitiones Saturni & Mercurii in ſignis

gnis mobilibus, ſive humanis, ſi prædictis ſideribus dominentur malevolæ ſtellæ Martis & Saturni. Sidera ergo ſecundùm DEI voluntatem præparant cauſas intermedias, & corrumpunt aërem, ac replent corpora malis humoribus.

SIGNA FUTURÆ PESTIS.

Caliditas plurima cum turbulentia nivium, multitudo pluviarum, ſubita aëris alternatio, & frequens multiplicatio vermium & ſerpentum. Flatus Auſtri aſſiduus, multiplicatio variolarum & morbillorum in pueris. Significant etiam peſtem Autumnales Cometæ & ſtellæ cadentes.

CURATIO
Pestis.

Certè sanum & optimum est illud consilium, quòd, qui vult à peste præservari, quàm citissimè ab urbe discedat, longè proficiscatur & tardè revertatur, quandoquidem nihil est tam noxium, quàm pestilens aër. Qui autem coguntur morari in patria pestifera, lautè & delicatè vivant, comedantque carnes laudabiles, optimos cibos: vino etiam utantur odorifero, non tamen expleantur ad satietatem: sed parciùs comedant & bibant, ac utantur moderato exercitio, nec non rarissimo coitu. In vita enim bona, & moribus ornata sanitas & virtus consistit.

Febribus pestiferis phlebotomiâ occurratur, quoniam, si qua spes superest, in eo posita est. Antequam oriatur apostema, phlebotomia fiat ipsius medianæ. Verùm post ortum apo-

postematis, si fuerit abscessus post aures,. aperiatur vena capitis : si sub brachiis , hepatica : si sub inguinibus , saphena ejusdem pedis : In talibus apostematibus missio sanguinis debet fieri satis copiosa : nam sanguis à peste plerunque corripitur. In Peste apparent pustulæ rubræ, nigræ, vel lividæ, similes pulicum morsibus , aut similes morbillis , & mortem portendunt.

MEDICAMENTA
hæc erunt.

Nihil melius inveniri potest, quàm aqua pimpinellæ & scabiosæ cum theriaca, mythridatio & parum croci.

℞ *Aquar. pimpinellæ* } *an.* ℥iij
scabiosæ }
mithridatii }
electi } *ana* ʒj
theriacæ }
croci optimè pulverizati gr.ij
Fiat potio pro tribus vicibus. Vel

ſum ſumenda eſt, nam aqua, niſi excoquatur, malum affert & cruditatum cauſa eſt, pejor in vallibus, quàm in montibus. Propterea ſuadet AVICENNA, talem aquam per alembicum deſtillare, vel ex vaſe uno in aliud per filtrum colare, vel terra ſumenda, quæ omnium mineralium ſit expers, & ponenda in eadem aqua; poſtea ibi quieſcat, donec ſpiſſitudo reſideat: percoletur per ſaccum plenum arena & lapillis: id fiat bis aut ter, donec ſapor & turbiditas evaneſcant. Alii volunt alumine purificari.

Non eſt conſultum in peregrinis locis, & præcipuè in regione hoſtium, aquâ ciſternæ ad coquendum cibos uti: ſed puteali, quæ ſic *probanda* erit: *Primò*, aqua putei extrahenda erit: *poſtea* iterum implendus, & purum linteum in eodem ad duas horas ſuſpendendum: *Deinde*, permittatur exſiccari, & videndum, num maculas quasdam contraxerit; nam, ſi quæ appareant, tum aquam eſſe

Vel ℞ *Aquar. acetos.* } *ana* ℥iij
vini granatorum
syrupi acetosi simpl. ℥ij
croci parum.

M. *pro tribus vicibus.*

Vel ℞ *Rhabarb. electi opt. pulverizati* ʒj
aq. endiviæ } *ana* ℥j
seri lactis
vini ℥ſ
spicæ gr. ij

Post infusionem octo horarum exprimatur, & in colatura dissolve

Diapruni solutivi } *ana* ʒj
Elect. de succo ros.
diacatholiconis

M. *Sumatur in aurora.*

Fi-

Pilulæ.

℞ *Massæ pilularum pestilentiarum* ʒj

F. Pilulæ V. sumantur ante introitum lecti.

Pomum odoriferum.

℞	*Styracis calamitæ* *Laudani purissimi*	*ana*	ʒj
	thuris *myrrhæ* *olibani*	*ana*	ʒj
	ambræ grisea		℈j
	moschi		gr. iv

Pulverizentur, & cum candenti pistillo f. pomum. s. a, ac tempore pestis sæpe odoretur.

Itaque in præsentiarum circa Medicinam Peregrinantium hunc tractatum concludo.

S. D. G.

F I N I S.

Syllabus capitum & rerum I. partis.

Cap.

Partis II.

FINIS.